



De Arnoldi Drakenborchii vita scriptisque disputatio

<https://hdl.handle.net/1874/274102>

DE ARNOLDI DRAKENBORCHII
VITA SCRIPTISQUE DISPUTATIO

M. TH. HILLEN

1424

A. qu.
192

)

DE ARNOLDI DRAKENBORCHII VITA
SCRIPTISQUE DISPUTATIO



A. 4^e 192, 1921.

DE ARNOLDI DRAKENBORCHII VITA
SCRIPTISQUE DISPUTATIO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI W. VO-
GELSANG, PHILOS. DOCT. ET IN FAC. LITT. ET
PHIL. PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS CON-
SENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTE-
RARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRA-
DU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM
CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRI-
VILEGIIS IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTA-
TIS EXAMINI SUBMITTET


MAURITIUS THEODORUS HILLEN
RHENO-TRAIECTINUS

DIE XI MENSIS MARTII ANNI MCMXXI HORA IV


Apud H. L. Smit et filios, typographos Hengeloenses.

A° MCMXXI.





AAN MIJN VADER EN DE NAGEDACHTENIS
MIJNER MOEDER.



Antequam hunc libellum foras dare aggredior, officii duxi vobis, Viri Clarissimi, quorum favore per tot annos frui mihi contigit, studiis Academicis finem imponens, tota mente gratias agere.

Tibi imprimis, clarissime Damsté, Promotor aestimatisse, quanta debeam grato animo recordor, eorum vero mentionem facere non est tantuli temporis spatiique.

Nihilominus commemorare velim Te cum magistrum benevolentissimum et patronum studiorum mihi semper et ubique adfuisse tum novissimis hisce mensibus temporis neque labori pepercisse, ut in hoc specimine conscribendo edendoque me consilio ac iudicio adiuvares.

Fore ut omnium Tuorum erga me officiorum memoria ex animo numquam evanescat, vehementer spero.

Nec minus Vobis, Praeceptores clarissimi J. C. Vollgraff piae memoriae, H. van Gelder, P. H. Ritter piae memoriae, B. J. H. Ovink, H. Bolkestein, C. W. Vollgraff, A. Rutgers van der Loeff, tam pro institutione in lectionibus accepta quam pro benignitate permultum me debere ex animo profiteor.

Vos, librorum sanctuarii antistites, silentio praeterire non possum. Vos v.o. J. F. van Someren, A. Hulshof, A. Brom, G. Evers, persuasum vobis habete me vestri officii et facilitatis semper memorem fore.

Denique vos omnes, sodales, quorum convictus mihi fons delectationis fuit fere cotidianus, grata memoria prosequor.

DE ARNOLDI DRAKENBORCHII VITA
SCRIPTISQUE DISPUTATIO.

In humanitatis studiis cum diligenter consideramus, quatenus viri docti patrii per tot saecula rerum antiquarum scientiae profuerint, concludamus necesse est nostros pro viribus suis, illius aetatis subsidiis, temporum iniuitate non paulum laboris attulisse ad istam disciplinam augendam et excolendam. Inter Academias nostras, quas illis temporibus iure caput studiorum classicorum dicas, Minervae sanctuarium Rheno-Traiectinum locum minime ultimum obtinet. Itaque me iusto quodam gaudio longam illam philologorum seriem perlustrantem, quos ab illo anno, quo Pallas nostra in sede collocata est, discipulorum catervae stipaverunt, ut imbuerentur artibus ac litteris, praeter ceteros unus ex iis commovebat, Arnoldum Drakenborchium dico, cuius fama in re publica litteraria etiam nunc vel extra fines patrios vivit vigetque.

Insuper animum movit, quod Drakenborchii nomen cum natali tum variis ac multiplicibus doctrinae studiis cum patria nostra arte coniunctum est.

Quibus rationibus adductus consilium inii, ut hoc specimine inaugurali pro virili parte de vita scriptisque agerem eius viri, qui non solum decus ac lumen Academiae nostrae fuit sed etiam meruit, ut mihi ipsi, eiusdem Minervae alumno, quasi industriae, ingenii, morum candidorum exemplum ante oculos versaretur. Cum autem vitam enarrare conaturus illius viri, quem aequales semper et ubique laudibus caelo extulerunt, metuere incipiam, ne onus susceptum humeris meis gravius futurum sit, etiam atque etiam rogo, ut bona legentium venia mihi adsit. Qua de causa Drakenborchii verba, quae in praefatione eius ad Livium leguntur, mea facere liceat: „Conatibus meis fave!”

ARNOLDUS DRAKENBORCHIUS, A NOBILI AC VETERE STIRPE TRAJECTINA ORIGINEM DUCENS, EX EVERARDI DRAKENBORCHII, QUI IN PATRIA CANONICORUM COLLEGIO ABACTIS FUIT, LIBERIS MAXIMUS ANNO 1684 NATUS IAM PRIMA AETATE DOCUMENTA DEDIT, UT EIUS LAUDATORIS¹⁾ VERBIS UTAR²⁾ „HAUD VULGARIA CELSIORIS ANIMI, QUI DIU IN OCCULTO LATERE NEGANS, CONTINUO SESE EXERERE CONSUЕVIT, QUAE NON VANAM SPEM INICIEBANT FORE, UT, SI CAUTE ET PRUDENTER FOVERETUR, MATORITATEM ALIQUANDO ADEPTUS, FRUCTUS EDERET, QUORUM SUAVITATE TUM PUBLICA TUM LITERARIA RES RECREARI ATQUE REFOCILLARI POSSET”. ACCEDIT, QUOD PATER, IPSE LITTERARUM MINIME RUDIS, OMNI STUDIO ID EGIT, UT QUAM OPTIMAM ERUDITIONEM FILIO IMPERTIRET.

AD COGNOSCENDAM CLARITATEM POSTERIOREM ALICUIUS HOMINIS CUM NON INUTILE SIT SCIRE QUA RATIONE IN EDUCATIONE USUS SIT QUIBUSQUE MAGISTRIS ADIUVANTIBUS TALEM VITAE HUMANAE FINEM ASSECUTUS SIT, ARNOLDI NOSTRI DISCIPLINAS IUVENILES SUMMATIM TRACTARE CONABOR.

ANTEQUAM AD PETRUM BURMANNUM MAGISTRUM PRAECIPUUM SE APPLICARET, PATER EUM VIRO DOCTISSIMO IACOBI, QUI GYMNASII ROTERODAMENSIS POSTEA PRAECEPTOR FUIT, PRIVATIS SCHOLIS PRIMIS LATINAe GRAECAEQUE LINGuae ELEMENTIS ERUDIENDUM TRADIDIT. DEINDE LUDUM TRAIECTINUM, QUEM SAMUEL

¹⁾ Ante me de D. scripsit IOANNES OOSTERDIJK SCHACHT in laudatione funebri in obitum A.D. ex decreto Senatus Academici publice dicta die XIX Februarii mensis anni MDCCXLVIII; praeter hunc librum, cui multa me debere profiteor, nonnulla sumere mihi licuit ex epistulis cum ipsis Drakenborchii, tum amicorum, quae in bibliothecis patriis asservantur. Porro passim apud varios aequales indicia inveniuntur.

²⁾ Oosterdijk Schacht p. 19.

Petiscus eo tempore moderabatur, adire iussus esset, nisi ille „ipse conscribendis libris magis quam erudiendis pueris vacasset¹⁾”; ita pater censuit e re filii carissimi fore, si Lingam mitteretur, Westphaliae in oppidum, ubi in Bromleeuwii Gymnasio tunc temporis celeberrimo praeceptorum opera linguarum humaniorum scientia imbueretur. Ibi triennium fere moratus et doctoribus suis diligentia, factis, profectibus insignibus probatus, honorifico ornatus testimonio ad publicas scholas dimissus est. Sed pater optimus filium quindecim annos iam natum a suo conspectu removere noluit, qui, cum in eorum numero esset, qui adulescentulo omnino ab illis litteris, quae ab humanitate nomen habent, incipiendum esse arbitrantur, eum Traiecti ad Rhenum manere ibidemque scholis virorum celeberrimorum Petri Burmanni necnon Joannis Georgii Graevii interesse iussit. Cum vero, Graevii aetate iam vergente, periculum esset, ne mors praeceptore iam fere septuagenario nostrum privaret, imprimis Burmanno Graevio eruditione nihilo inferiori operam dare eumque mox tanto fervore diligere coepit, ut eius voluntatem in dies auctam sibi conciliaverit favoremque magistri assidue servare potuerit²⁾. Arnoldus

1) O. S. Or. fun. p. 21.

2) Saepius de praeceptore suo bene meritus est in corrigendis speciminibus, in notis disponendis, aliis, Burmanni rogatu pro Viri Clarissimi Muntendam vidua Quintilianum correxisse videtur. In epistula ad eum data legimus: „Vellem alia et maioris momenti forent, Vir Clarissime, in quibus tibi ac commodis tuis alicuius momenti esse possem; spondere enim audeo neminem te inventurum, qui operam alacrius addiceret et, quae receperat, maiori fide perficere conaretur.” Plura quoque folia Vergiliana et Lucani, Suetonii, Velleii, Phaedri, Ovidii editiones Burmanni notis instructas inspexit necnon Politiani excerpta ad rei rusticae scriptores diligentius examinavit.

noster, diligentissimus auditor, laudabili pertinacia studiis invigilabat, cum quae pertinebant ad res gestas gentium antiquissimarum et admiranda patriae fata, tum imprimis ad Romanorum Graecorumque leges et instituta.

Et finis coronavit opus, nam quinque annis post studia Burmanno duce incohata, sc. anno 1704, dissertationem philologico-historicam conscripsit: „*De Praefectis Urbis*” atque Burmanni praesidio publice defendit. Quem ipsum libellum postea Joannis Ludovicus Uhlius typis repetendum curavit Francofurthi cis Viadrum (anno 1752).

Disputatio „*De Praefectis Urbis*” necnon illa „*De officio Praefectorum Praetorio*”, qua oblata triennio post summos in iure honores adeptus est, aperte demonstrant eum historiae Antiquitatum Romanarum studiosissimum fuisse. Perspicaci divisione et dispositione usus deinceps de variis praefectis Urbi apud Romanos agit. Postquam de magistratus genere docte disseruit, disputat de praefectis sub regibus institutis, de praefecto Urbis feriarum Latinarum causa, de ultimo praefecto sub imperatoribus creato; capita V et sequentia spectant ad dignitatem munera, insignia horum, qui ad praefecturam Urbis admittuntur.

In fine libelli „corollaria” nonnulla sunt, quae ad Romanorum leges et instituta pertinent. Petri Francii encomium¹⁾, „Claro et eximio iuveni Arnoldo Drakenborchii” dedicatum, testis laudis est, quae scriptori ex aequalium ore obvenit. „Verum enim vero, (ita laudator eius) quum plerisque hominibus melius omen in auro quam in litteris inesse videatur, omnes amici Drakenborchii auctores fuerunt, ut ad illa imprimis studia animum adiungeret, quae ad rem familiarem augendam humanioribus magis accommodata cernuntur.” Consilium igitur navandae iuri civili operae hortante patre capit, etiam quod „inter humanita-

¹⁾ „*De praefectis urbi*” p. 79, 80.

tem et iurisprudentiam non parva cognatio intercedit.” Nostra in Academia primis tirociniis positis, ut opus incep-
tum feliciter absolveret, Lugdunum Batavorum mittitur. Quamquam concedamus necesse est eum eximia sedulitate scholas iuris praeceptorum frequentasse, eum tamen eodem tempore inscio patre viris doctis, quales Jacobus Perizonius et Jacobus Gronovius fuerunt, animum operamque ad-
dixisse haud temere suspicamur.

Institutione horum quattuor praestantium magistrorum refertus ad penates revertitur neque tamen, cum summos in utroque iure honores consecutus esset, otium se decere arbitratus ingenium Musis elegantioribus excolare desistit. Progrediente aetate praecipuus amor erga studia, „ad quae se incredibili mentis impetu ferri sentit¹⁾”, numquam eum destituit²⁾, cuius studii et amoris testes tam orationes publice habitas, in quibus pro studiis classicis strenue pugnavit, quam eius editiones Silii Italici necnon Titi Livii suo tempore afferre mihi licebit. Anno igitur 1704 patre iubente studia in iure civili ponere cooperat. Primo in patria sua iurisconsultos Pollium, Muydenium, imprimis Eckium adiit, deinde Lugdunum Batavorum se contulit, ut ductu virorum nostris minime inferiorum extremam manum studiis imponeret. Ibi Matthaeus, Voetius, Vitriarius pater, Noodtius tunc iusta fama florebant. Eius industriam his verbis v.c. Oosterdijk Schacht in laudatione depingit: „Quum vero in dulcissima illa Musarum sede degeret, coe-

1) Ita noster in epistula Dukero scripta quae Amstelodami asservatur.

2) Collegam Dukerum in epistula quadam ita alloquitur: „perpetua concordia et indissolubilis animorum coniunctio vigeat, floreat ac nulla umquam nisi honesta ac laudabilis Academiae et elegantiorum litterarum utilitatibus pro virili inserviendi aemulatio reperiatur.”

lum se quidem, at non animum mutasse re ipsa ostendit. Neque enim aut minori sedulitate Noodtii, quo uno in iure praceptor utebatur, scholas frequentabat aut remissiori diligentia domesticis studiis insudabat, numquam nisi concubia nocte lecto se componens et summo mane eundem iterum deserens, ne mori diutius quam vivere videretur, quam vivendi normam ad provectiorem usque aetatem constantissime servavit".

Unius anni spatium Leidae moratus in patriam redit, doctrinae copiis instructissimus, et summos in iure honores anno 1707 adeptus est, mense Martio edita dissertatione inscripta: „De officio praefectorum praetorio". Qua disputatione¹⁾ septem deinceps capitibus agit de nomine, numero, dignitate, eorum cura circa milites et res militares, iurisdictione, reliquis muneribus, insignibus. Incredibili diligentia virorum doctorum opiniones undique collegit et larga manu locos, qui apud rerum scriptores et veteres et recentiores occurrunt, prout res postulabat, in argumentatione sua adhibuit.

Quamquam ad cursus Academici metam pervenerat, Drakenborchius, cum intellegeret se litteras et disciplinas nullo aetatis tempore perdiscere posse, eas quoque horas, quibus operam dare solitus erat publicis privatisque praecitorum lectionibus, suis ipsis humanitatis studiis dicavit. Itaque eum Musas repetentem videmus, patre eum ad forensem operam obeundam saepius impellente, easque excolere pergentem. Haud raro carum suum Burmannum conveniebat, quocum de variis disserendi causis ageret.

Anno 1709 Titi Petronii Arbitri Satytricon quae super sunt curante Burmanno Traiecti ad Rhenum in lucem missa sunt apud civem nostrum Guilielum van de Water. De integro discipulus se officium ac diligentiam magistro dilectissimo probare debere ratus in opere docto et elabo-

1) Quae Oelrichsii Thesauro dissertationum inserta est.

rato notas aliorum in ordinem redegit recensuitque. In praefatione Burmannus ipse grato animo huius rei mentionem facit: „Nolle tam te ignorare, Lector, in adornanda hac editione maxime adiutum et sublevatum me fuisse opera Iuvenis, eruditionis singularis laude et modestiae rarae florentis Arnoldi Drakenborchii, qui cum socio, egregio quoque et optimae spei adolescente, Joanno Watero, typographi nostri filio, in recensendis et disponendis notis et commentationibus, in Indice Gonsalii locupletando et emendando, molestissimas in se partes suscepereunt.”¹⁾

Triginta annos natus noster magistro hortante Silium Italicum evulgare in animum induxit. Carminis exemplaria, quae tunc in usu erant, prava et corrupta fuisse videntur, vel ut verba viri medici Oosterdijk Schacht mea faciam: „Medicinam²⁾ certe nobilis ille poeta multis profundisque vulneribus confossus et temporum iniuria mirum in modum laceratus dudum flagitabat.³⁾ Huic vero facienda Drakenborchio aptiorem vix invenires, qui, quamvis pangendis carminibus nihil valeret, in quo uno naturam ipsi novercam fuisse non sine iniuria dolemus, poetarum tamen indolem, quod medicum decet, perspec-

1) Contra Burmannus pro discipulo codices Livianos et Silianos emit, specimina correxit, menda in illis tollere studuit, pro Arnoldo suo de operibus doctis edendis cum Luchtmanno typographo egit. Denique compluribus locis coniecturas suas attulit.

2) O.S. Or. fun. p. 36.

3) Ricardus Bentleius in epistula ad Burmannum data quae in bibliotheca Leidensi est: „Lucani et Silii id fatum erat, ut vel statim post fata singulorum miserrimis modis a librariis contaminarentur adeo, ut saepiuscule in uno versiculo tria verba in mendo cubent, quorum unum ab indocto scriba profectum, reliqua a correctore, qui ad scribae errorem cetera accommodaverit.”

tum habebat eorumque sales et lepores admirari aut maiestatem venerari probe noverat gravique cothurno incendentes vates, humilis licet et soccis indutus, lubens alacerque sequebatur." In eo autem edendo et emendando hac via a ratione usus est, ut ad codicum fidem et usitatum auctori loquendi morem, non ad ingenii acumen locos, quibus multa deerant, corrigeret vel suppleret. Quam ob rem principium operis sui duxit e veteribus membranis et antiquissimis editionibus. Dum in hoc opere versatur, casu accidit, ut Burmannus consilium iniret iter in Galliam faciendi cum bibliothecarum visendarum tum virorum doctorum, qui illis temporibus fama in republica litteraria fruebantur, salutandorum causa. Ab Arnoldi parentibus impetravit, ut filium socium et comitem sibi ascisceret. Itaque adsumptis in societatem amicis suis fratribus Cornelio et Guilielmo van Cleeff anno 1714 praceptorum comitatur. Lutetias Pari- siorum postquam pervenerunt, Montefalconio viro celeberrimo Mentore bibliothecas, illos reconditae doctrinae thesauros, perscrutantur oculisque collustrant, quoad id per sex hebdomadum spatium fieri potuit. Illo tempore non pauca repperit, quae tam ad Silium emendandum quam ad alios scriptores illustrandos, quos forte in lucem editurus esset, usui esse possent; e. g. in bibliotheca Regis Christianissimi codicem recentissimum vidit et Bernardus Montefalconius eum certiorem fecit sex alios in Italia nuper scriptos in bibliothecis extare. Sed temporis brevitas impeditivit, quominus codicem, quem viderat, diligentius per voluntaret.

Anno 1717 Caii Silii Italici Punicorum libri XVII curante A. Drakenborchio, cuius etiam annotationes passim additae sunt, foras dati sunt. Liber missus est ad Urbis Traiectinae consules aliquos senatores, quibus in dedicatione maximas gratias agit, quod eum „parti honestissimae provinciae, quam incredibili orbi eruditii applausu nuper administravit Vir cel. et non

sine singulari veneratione a me nominandus Petrus Burmannus, praesesse iusserunt, idque, quo nihil hominibus dulcius esse solet, in ipsa patria atque inter parentes."

Nempe anno antequam Silius in lucem prodiit, Academiae nostrae Curatores Arnoldum dignum iudicaverant, quem in Burmanni locum, qui Lugdunum Batavorum prefecturus erat, sufficerent, iamque munus habita oratione inaugurali inierat, de qua infra dicturus sum. Expositis iis omnibus, quae iam virorum doctorum labore et industria in Silio acta sunt, videndum nunc superesse dicit, quid ipse in hac editione praestiterit. A Plinii Maioris sententia, quae est „Ingenui est afferre, per quos profeceris” exordium capiens ex animo his verbis Burmanni laudes dicit: „Cum autem ingenui ac liberalis animi sit, per quos profeceris, publice profiteri, ante omnia ut viro celeberrimo et ad haec elegantiorum litterarum studia promovenda atque amplificanda unice nato Petro Burmanno, cuius in me merita nullo umquam tempore silebo, gratias tu, amice lector, si quid utilitatis ex meo labore studiis tuis afferri sentis, et ego imprimis agamus, postulant innumera beneficia,¹⁾ quibus hanc editionem quam prolixe cumulavit. Cum enim munere amplissimi fratri Caroli Crucii consulis Lugduno-Batavi ineditas viri illustris Nicolai Heinsii in poetam nostrum notas possideret, auctor mihi fuit ac suasor, ut Silio manus admovere et diutius, quam par erat, latentem hunc optimarum observationum thesaurum in lucem protrahere vellem. Quod, quoniam viribus et ingenio diffiderem, cum aegre mihi

¹⁾ His verbis a Burmanno suo petiit, ut dedicationem et praefationem Silii corrigere vellet: „Similis sum avium pullis, qui volare discentes, suis se alis credere non audent.” Alio loco legimus: „Decus ac praesidium studiorum nostrorum maximum tot insuper ac tanta me tibi debere gratus agnosco, ut illis ex merito referendis nullo umquam tempore sufficere possim.”

persuaderi cerneret, omnia se, quae poterat, ad ornandam hanc editionem et favorem ei conciliandum collaturum liberaliter promisit. Auctoritate igitur et impulsu tanti viri, qui, quod disciplina eius fictus et formatus eram, quid humeri mei ferre poterant, optime intellegebat, inductus et permotus Nicolai Heinsii¹⁾ primo annotationes, quas margini editionis Dausquejanae variis temporibus, ut quaeque in mentem venerant, allevit, quanta fide potui, descripsi et cum alio exemplari editionis Colinaei, cuius orae, praeter quam plurimas coniecturas, manuscriptorum varias lectio-nes commiserat, diligenter contuli."

His verbis editor poematis edendi viam ac rationem comprehendit: „Auxiliis igitur atque opibus et quae ipse habebam et quae amicorum benignitate consecutus sum, instructus Silii recensionem adorsus sum, illud imprimis attendens, ut auctoris contextus, quantum fieri potuit (restant enim etiamnunc plurimi nodi difficillimi, qui sine aliorum codicum auxilio vix solvi posse videntur), ex manuscriptorum et vetustarum editionum praescripto quam emendatissimus ederetur; in quo passim secutus sum, nisi ubi genius linguae Latinae vel poetae aliud flagitare mihi videbatur, quod tamen paucissimis in locis accidit, illustrissimum Heinsium, qui orae editionis Dausquejanae, qua uti solitus fuit, non modo notas suas alleverat, sed etiam ipsum poema, quemadmodum a manu Silii profectum coniebat, antiquorum librorum fide diligenter atque accurate correxit. Deinde illud praecipue in notis egi, tum ut a viris eruditis ex membranis revocatas lectiones aut ab ingenio profectas coniecturas vel optimorum auctorum testimonio probarem ac stabilirem vel receptam lectionem, si ea praetare videtur, sine cuiusquam offensione vindicarem:

¹⁾ Nic. Heinsius cum editionem Dausquejanam tum Barthii excerpta Oxoniensia, codicis Coloniensis excerpta, editiones Parmensem, Romanam, alias pervolutarat.

tum ut ex priscis editionibus, si fieri posset, ostenderem ac palam omnibus facerem, quibus gradibus veterum librariorum typographorum aut criticorum ignorantia atque audacia Silii manus depravata et ea, quae vulgo obtinebant, verba substituta fuerint: tum ut decantatam et omnibus notissimam Silii imitationem Maronianam accuratius demonstrarem; tum denique, ut loca obscuriora, quae tirones facile morari possent, clariori luce perfunderem."

Drakenborchii igitur editio Siliana imprimis Nic. Heinssii¹⁾ „medica manu” nititur, cuius notas postumas beneficio P. Burmanni noster primus publici iuris fecit. Prudens consilium et factum laude dignissimum!

Silii enim poema, per Poggium Florentinum repertum saeculo illo orto, cum bonae litterae renascebantur, cum negligentia librariorum scribarum tum paene puerili editorum ignorantia corruptum potius quam politum erat. Ut editionem Romanam principem, Parmensem, Mediolanensem, sequentes silentio praeteream, Ambrosius Nicander Toletanus, qui editionem Juntinam anni 1515 curavit, ut ipsius verbis utar, Silium „sua arte faberrime polivit et pervigili cura serenitati pristinae restituit ope vetustissimi exemplaris Roma advecti atque omnibus maculis detersit defecavitque.” Immo vero eum plane perdidit temeraria sua mutandi (vel potius corrumpendi) libidine. Etiam Hermanni Buschii Pasiphili editiones Silianae erroribus scatent (annorum 1531 et 1543).

Accedit, quod rari poetae nostri codices supersunt, excerpta tantum codicis Coloniensis, Carrioni Modioque solis

¹⁾ In epistula Lugdunensi d. 25 m. Oct. anni 1709 ad P. Burmannum data Ric. Bentleius de nostro haec scripsit: „iuvarem istum eruditissimum, qui Heinssii Silium editurus est, non vidi; paratus tamen sum vel in codice illo Oxoniensi conferendo vel in alio quovis officio ei opitulari.”

cogniti, excerpta tantum membranarum Oxoniensium existant. Facile igitur intellegitur editorem nostrum onus ab omni parte grave suscepisse, cum praesertim omnem spem codicium inspiciendorum eum fefeller cognoverimus. Amici¹⁾ collegaeque quamvis identidem officia sua praestiterint, libros mss. aliis nondum visos cum editis committere nequivit. Dum in codicem ex descriptione bibliothecae Se-natus Lipsiensis perquirit, audivit nullum esse sed calamivitio pro Statio Silium positum!

Arnoldo nostro igitur, codicibus manu exaratis omnino orbato, strenuo labore²⁾ et assiduitate opus fuisse, ut, quod sibi proposuerat, bene ad finem perduceret, non est quod dubitemus. Quod numquam ante factum erat, omnes annotationes et emendationes, quarum Nic. Heinsius in notis suis mentionem fecit, in ordinem digessit et in commentarium criticum copiose recepit. Quam ob rem facile ei fidem habemus dicenti: „In quo quantum molestiae mihi devorandum fuerit, nemo ex aequo aestimare potest nisi qui, in simile quondam pistrinum detrusus, eundem quem ego laborem exantlavit.”

Praeter Nic. Heinsii notas, quae in editione Claudii Dausqueji Sanctomarii Canonici Tornacensis in margine sunt, perlegit noster et excerptis:

¹⁾ Quibus officiis Burmannus in studiis Silianis discipulum prosecutus sit, supra commemoravimus; praeter illum in Punicis edendis ei opem tulerunt v.d. Wolferdus Senguerdius, Jac. Gronovius, (Burmanni opera) Ez. Spanhemius, Ric. Bentleius, deinde Franc. Hesselius, P. Vlaming, G. Claramontius, Guil. Best, Jac. Perizonius (qui ei editionem Romanam anni 1471 commodavit), van der Kloot, J. H. Schminckius (per Iselium), Brenckmannus, denique B. Montefalconius.

²⁾ Triginta trium editionum Silianarum index, quae ad eius cognitionem venerunt, studii eximii testis est.

1^o. Francisci Modii Novantiquas Lec-
tiones,¹⁾

2^o. Casparis Barthii Adversaria,

3^o. Danielis Heinsii Crepundia Siliana,

Quae singula percensere mihi liceat. F. Modius, cum codex bibliothecae Coloniensis per Ludovicum Carrionem patefactus esset, Siliū „cum Homero et Virgilio collatum ac locis innumeris emendatum” edere in animo habuit. Verriores scripturas, ex illo codice manuscripto collectas, in Novantiquis Lectionibus suis per epistulas centum dispersas, proposuit et commentarium meditatus est, qui numquam — nescio quo casu — divulgatus est. Sed curarum Modianarum reliquias Drakenborchii opera nobis servatas esse laeti agnoscimus.

Casparis Barthii Adversaria excussisse ausus esse noster iure dici potest, cum, ut liber „montis instar” inscribitur, „ex universa antiquitatis serie, omnis generis ad vices octies centum, auctorum plus centum quinquaginta milibus loci obscuri, dubii, maculati in eo illustrentur.” Barthius licet excerpta tantum membranarum Oxoniensium recensuerit, tamen eius labor haud aspernandus est. Ille codex enim Siliū salvum nobis servavit; manuscripto Coloniensi vero dimidium libri sexti decimi deest et ultimus totus.

Dolendum est, quod Barthius (Drakenborchio teste) saepe nimiam omnium scripturarum fidem Dausquejo habet Modio Heinsioque invitis. Drakenborchius vero ex usu Adversaria Barthiana adhibuisse videtur, nusquam iis plus iusto fretus. Restat, ut de Danielis Heinsii Crepundiis Silianis²⁾ breviter disseramus.

1) Quae cum Carrionis Emendationibus in Gruteri Lampadis p. III, 2 et V, 1 exstant (Francofurthi, a° 1607).

2) Quae in editione Raphelengiana Lugduno-Batava (a. 1600) inveniuntur.

„Anno deinde 1600 — ita in sua ad lectorem praefatione noster — Silium ad fidem libri Agrippinatis ac mentem Modii emendatum edidit vir egregius et supra laudes meas positus Daniel Heinsius, tum paene adhuc puer eique eruditissimas notas addidit, quas ob teneram aetatem, qua eas conscripsit, Crepundia Siliana vocavit, sed quarum ipsum nec senem umquam paenituit. Haec Crepundia iterum lucem viderunt Cantabrigiae anno 1646. Cum C. S., quae paucis paginis ingentem reconditae ac non protritae eruditionis copiam continent, rarius non in his terris modo, sed ubique etiam inveniri possent, aut, si casu invenirentur, quam animose, si molem libelli spectas, et insano pretio compararentur, non committendum censui, ut bonarum artium studiosi tam exquisitis bellariis, praesertim data hac occasione, ulterius carerent aut saepe aliquo census detimento sibi comparare necesse haberent. Ut itaque recensita et a sordidis typographorum erroribus expurgata hic denuo exprimerentur, curavi.”

Nunc cognoscendum nobis erit de ratione, qua editor noster subsidiis, quae praesto ei fuerunt, usus est.

Sine codicibus manu exaratis „parcissime coniecturis sibi indulgendum” censuit, quem studiorum Silianorum morem modumque optimum artis criticae fundamentum esse constat. At tamen ipse quoque nonnullis locis poetae vocem suam reddidit sed nonnisi ex auctoritate codicis longe veterimi. Ut est cautus, prius mavult quod libri firmant, nam „sine necessitate ab omnibus libris et scriptis et editis in contrarium ire non decet.”¹⁾ Quo loco editor quidam contra alium receptam

1) Ex apparatu critico Liviano quoque huius eius rationis mihi in mentem venit: „Quum tamen et alterum ferri possit, tantum mihi vindicare non audeo, ut invitis codd. omnibus vocem expellam vel unius auctoritate eam immutem.”

lectionem vindicat, addit noster: fortasse non male,
nisi optimus codex obstaret.

Alio loco legimus: „deinde omnino praefero cum Illustr. Heinsio (sequitur scriptura), quod, ita eo iubente, in contextum recepi; timide tamen, quoniam vetusti libri non addicunt.” Cum coniecturis minus studuerit, omnem fere operam in revocandis et vindicandis lectionibus aliorum auctorum testimonio consumpsit. Insuper Nicandri et Dausqueji curas plerumque reicit; illum in Juntina editione primum veram Silii manum corrupisse (quem multi editores male secuti sunt), hunc continuo sed perperam pro falsa scriptura stare demonstravit. Atque parum Arnoldus noster odio delectatus esse videtur, quo inflammatus Dausquejus in Modium et Danielem Heinsium invectus est, quotienscumque ab iis de scripturis dissentiebat.

Manifestum est Drakenborchium gravissimas causas habuisse, cur eius viri, hanc ob causam saepe erroribus capti, annotationes non repetiverit.

Denique eum non modo ut contextum prospere restitueret ex notissima imitatione Silii Maroniana a Virgilii Aeneidos verbis profectum esse, verum etiam semel atque iterum scribarum stuporem, audaciam, ingenii tarditatem graviter perstrinxisse legentibus nobis appetat.

Identidem frequentem nominum propriorum corruptionem in codicibus vetustis carpit, ut appareat ex iis, quae ad L. IX v. 117 annotat; haec enim exempla affert:

missus pro Temisus.

(cassidis) auricomae pro Auruncae.

(cassis) dira pro Tyria.

(ex coniectura N. Heinsii).

radio pro Tadio.

terrorque modo pro terror Nomadum

iterum pro Italum

nondum pro Nomadum

diro (transtro) pro Tyrio (ex eiusdem Heinsii connectura).

fera (bella) pro Africa.

ludibilis pro Indibilis.

Passim erroribus detegendis studuit, e quibus innumeris dignissimi sunt qui commemoarentur: acer — ater, agitant — habitant, vibrare — librare, placitus — placidus, vanus — imus, unus; litteras c et l in litteram d saepe coaluisse in vocabulis dura et clara (aliisque) gravissimis argumentis demonstravit.

Denique iudicij mentionem facere libet, quod Ludovicus Bauer, editor Silianus, anno 1890 fecit: scripturas, a Nicolao Heinsio ex editione Silii Gryphiana (annorum 1547 et 1551) collectas paulo minoris momenti esse censet atque longo itineri repugnat quo illae e codice ipso denique a Drakenborchio descriptae in nostrum conspectum venerunt. Hermannus Blass Bauero teste docuit errasse revera nonnumquam sive Heinsium sive Drakenborchium, etsi raro ei contigit, ut eos erroris convinceret.

Lugdunensis Academiae Curatores cum Burmannum amplissimis honoribus et commodis oblatis pellexissent, ut a Traiectinis suis ad Athenaeum vicinum deficeret, ea res cives nostros Academiae praepositos in necessitatem compulit, ut locum, Burmanni discessu vacuum factum, explerent.

Commendante ac suadente paeceptore ipso¹⁾ Draken-

1) „Ceterum maximas tibi gratias ago, Vir Clarissime, quas omni tempore referre conabor, quod consilio et auctoritate tua animos Curatorum, qui minus mihi velle credebantur, in id induxeris, ut me splendidissimo hoc honore ornaverint. Semper autem sedulo cavebo, ne umquam te huius in me collati beneficii poeniteat.”

Altera epistula nos docet eum cum Dukero collega „po-

borchium „Burmanniana arte et industria exultum et perpolitum” in locum magistri substituerunt. Sed cum persuasum sibi haberent muneri, cui ipse Burmannus solus parerat, unum successorem vix parem fore, ab iis in officii societatem adsciscitur Carolus Andreas Dukerus Westphalus.

Officium noster init die 25 mensis Maii anni 1716 habita oratione inscripta: „De utilitate et fructu, qui ex humanioribus disciplinis in omne genus hominum et doctrinarum redundant.”

Triduo post Duker „collega sanctissimis muneris et non fucatae amicitiae vinculis mihi coniunctissimus” munus¹⁾ suscepit oratione pronuntiata: „De difficultatibus quibusdam interpretationis grammaticae veterum scriptorum Graecorum et Latinorum.”

In illa oratione²⁾ Drakenborchius propugnator revera studiorum classicorum existit, cum facunde demonstret tantam eorum cum reliquis artibus et disciplinis esse affinitatem, ut ruentibus bonis litteris ceterae disciplinae statim labefiant. Opinionem et spem de eo conceptam mox

cupo capaciori Burmanni genio libavisse eique, quamlibet ipse ille optare posset, fortunam vovisse.”

Quae epistulae in XXX epistulis Drakenborchianis Burmanno scriptis sunt. (Leidae, Hs. Burm. 4°, 25).

1) Ludorum litterarum praefectura cum munere coniuncta inferiorum scholarum examini interesse debuerunt id temporis Professores.

2) Qua est verecundia, ipse de oratione inaugurali sua annotat: „(Nudius tertius) me coram maxima omnis generis hominum multitudine orationem recitasse vel potius memoriae vitio aut cautione quadam et timiditate praeleguisse (ex amplissimo fratre) intellegere potuisti.” (Ex epistula Leidensi ad Burmannum data).

multum superasse videtur; in laudatione¹⁾ enim legimus:
„Sive ab ipsius mundi incunabulis ad nostri aevi tempora
populorum omnium fata evolveret; sive antiquos Romae,
orbis dominae, ritus illustraret; sive Latia conscriptos lin-
gua libros declararet; sive veram terro stilo epistulas ex-
randi rationem traderet; sive per amoenissimos veteris
Graeciae ceterarumque regionum campos excurreret; sive
potentissimam Dei manum in patria nostra constituenda
firmandoque oculis venerabundis subiceret; sive haec pu-
blice in Acroateriis sive privatim in aedibus doceret, ubi-
que se Drakenborchium, id est virum incomparabilem
probavit.”

Quae tempus tulit opuscula eius haec sunt praeter Silii
et Livii editiones atque orationes nonnullas: Dictata
in Flori Epitomam, in Antiquitates Roma-
nas, in Pomponium Melam, in Justinum,
Scholae de Ovidii Heroïsin, de Ciceronis
de Senectute, Collectanea de iure iurando
veterum, Annotationes in Thomae Magis-
tri Lexicon Atticum, „Batavia sacra,” „Or-
igenes Traiectinae”,²⁾ Annotationes de Ca-
rolingorum principum re diplomatica, Ex-
cerpta ex libris typis excusis de historia
patriae et universali medii aevi ineuntis.

Hoc vitae tempore sororem patruelem Catharinam van
de Wall in matrimonium duxit,³⁾ quae patre Bartholomaeo

1) O. S. Or. fun. p. 43.

2) Cuius libelli autographum non ad finem absolutum
exstat in bibliotheca societatis, cui nomen „Maatschappij
van Nederl. Letterkunde, Leiden.”

3) Per litteras Leidae asservatas Burmannum de hac re
docet: „Tandem aliquando lectissima virgo, quae me adhuc
puerum ferme oculis suis ceperat cuique aeternum et num-

van de Wall, matre Joanna Drakenborch oriunda erat. Quattuor liberos ex ea habuit, puellas tres cum unico filio, quos omnes mors immatura parentibus eripuit.

Idem annus 1719 eum decessu collegae et amici Francisci Burmanni theologi afflixit, quem non tantum ob fratris merita in se collata, sed imprimis ob insignem erudititionem etiam in illis litteris, quae sibi docendae datae erant, castamque et non fucatam pietatem plurimi semper fecerat.

Huius viri merita ut celebraret, orationem funebrem publice habuit, neque occasionem praecipitam e manibus dimisit studiorum humaniorum laudes praedicandi.

Defuncti enim discipulos ita alloquitur:¹⁾ „Pessimos, quos forte in consilium adhibuistis, studiorum corruptores valere iubete et vel nunc, dum tempus sinit, cognoscite numquam vos splendorem, qui ex vera et solida eruditione nasci solet, adepturos, nisi prius inscitiae aeruginem elegantiorum litterarum ope deterseritis; numquam vos ad aliquam frugem perventuros, nisi prius pectoris agrum, in quem sacrarum doctrinarum semina spargenda sunt, lolio ac vepribus ignorantiae purgaveritis et humaniorum artium auxilio fecundatum fructibus laetissime proferendis idoneum reddideritis.”

quam intermoriturum amorem a teneris, quamquam frustra adhuc, libens et ex animo voveram, precibus plus quam decennalibus evicta aures benevolas praebere ac votis castissimis annuere dignata est, ut adeo maioris molis mihi fuerit quovis marmore duriori huic cordi iucundissimum affectum induere quam Graecis Ilium expugnare. Quali ac quanto gaudio eximia haec felicitas me perfuderit, quae semper ambitionis meae summa fuit, quisque potius cogitando assequi quam ego narrando exprimere valeo.”

1) Drakenborchi Oratio funebris in obitum Fr. Burmanni, p. 18.

Edictorum¹⁾ regionis urbiske Traiectinae volumini primo, quae Joannes van de Water, qui Curiae supremae abactis erat, tribus tomis collegit ediditque, Drakenborch, antiquitatum ecclesiasticarum haud mediocriter peritus, Catalogum Praepositorum Decanorumque Ecclesiarum Traiectensium inseruit. Doctum et elaboratum opus, quod a° 1729 emissum est, cum Vir Clarissimus Cornelius Paulus Hoynk van Papendrecht, archipresbyter Mechliniensis, satis acerbe vituperasset et compluribus locis criminatus esset, anonymous ad sacerdotem epistulam conscripsit,²⁾ qua salse ac facete sacerdotem illum Romanensem, qui Drakenborchium interdum „graviter hallucinatum esse et somniasse” dixerat, ipsum longe gravius erravisse demonstrat.

Archipresbyter enim ipse quoque in Analectis Belgicis suis Catalogum, de quo sermo est, confecerat, quem in epistula conscribenda Arnoldus noster (is scilicet scriptor anonymous fuit) ante oculos habuit.

Apologiam excipit Sylloge monumentorum et diplomatum ineditorum, quorum in praecedenti epistula mentio fit.

Iam antea Matthaeus operis sui praefationi Catalogum Praepositorum Ecclesiarum urbis patriae inseruerat, qui tamen teste Joanne van de Water vitiosior fuisse videtur.

Drakenborchii annotationes manu margini adscriptae eius studia, quae ad ecclesiarum antiquitates spectant, quo ad eas inspicere mihi licuit, satis demonstrare possunt.

„Interea — ita eius laudator pergit — adeo gnavi, quos

1) Groot Placaatboek der staten 's lands van Utrecht, Utrecht 1729.

2) Quae epistula atque adeo qui libellus integer exstat in libro, cui titulus: „Aenhangsel op de Kerkelijke Oudheden van Nederland”, anno 1744 Tr. ad Rh. edito.

3) Matthaeus: Fundationes et Fata Ecclesiarum, quae et Ultraiecti in eiusdem suburbii et passim alibi in dioecesi. II. L.B. 1703.

in bonum publicum subibat, labores amplissimis Curatoribus placuerunt, ut et commoda eius augere et summum ipsi Academicum magistratum committere decreverint."

Quo munere abiit die 26 mensis Martii anni 1722 publice habita oratione, qua investigavit: „Unde fiat, ut studia humanitatis hodie tantopere negligantur”, quam quidem elegantiorum litterarum defensionem prelo non subiectam inspicere nequivi.

In una ex epistulis, quae in bibliotheca patria exstant, autographa d. 16 mensis Junii anni 1721 ad Gerhardum Dumbar Daventriensem data legimus eum aequali et amico suo gratias agere pro eius *Analectis*¹⁾ ad se missis. Una in studiis genealogicis collegae exempla „diplomatū descrip-torū ex Archivis urbis Traiectinae et ex Chartulario Ecclesiae Maioris” inspicienda tradit et conferenda cum propriarum indagationum eventibus.

Ex epistula haec afferre libet: „Praeterea aliquam operam ponere amo in studio genealogico, invidioso, fateor, at iucundo, si quod aliud. Huius quoque specimen aliquod brevi forsitan editurus sum atque familiam Zuleniorum Nyveldicorum nobilissimam olim et multa sobole florentissimam, at nunc ferme intermortuam, nisi quod in paucis tantum capitibus subsistat, ex libris feudalibus aliisque monumentis publicis et privatis eruere et luci publice exponere conabor. Si ergo tuae etiam materiae quaedam submittere possis, nihil mihi accidit. Pluribus tecum de studiis communibus, quibus tu maximum decus ac praesidium existis, colloqui animus gestit, verum partim vereor, ne tibi, gravioribus patriae negotiis occupato, ultra, quam decet, molestus sim, partim etiam ipse muneris ratione otio avocor.”

Joannis de Beka et Guilielmi Hedae li-

1) G. Dumbar: *Analecta seu vetera aliquot scripta inedita*, Daventriae 1719—1722, 3 vol.

bro de Episcopis Ultraiectinis quoque multa noster adscripsit, quae ad urbis et ecclesiae patriae antiquitates spectant.

Anno sequenti cum discipulis in schola disputavit de Pomponii Melae libris de situ orbis; praefatione praemissa de eius temporis Melae editionibus, deinceps de singulis geographicis et mythologicis fusius agit; annus 1724 eum disserentem vidit de Ovidii Heroïsin et Justini Epitoma, quarum scholarum dictata adhuc exstant. In Ovidii vita tractanda Burmanni editionem commemorat, quae anno 1714 evulgata erat: „Brevi lucem videbit maior eius editio variorum notis instructa, quam si habebimus, reliquis omnibus facile carere poterimus.” Ex iudicio facile discipulum Burmannianum agnoscimus!

Ad idem vitae litterariae tempus scholas eius de Ciceronis libro de senectute referimus, quae inter Davidis Ruhnkenii libros leguntur.

Interea studia genealogica numquam intermisit; anno 1727 enim Casparus Burmannus¹⁾ Analecta historica de Hadriano Sexto Papa Romano, civi Traiectino, collegit.

Denuo noster Burmanno chartarum nonnullarum ineditarum copiam fecit, qui in praefatione de eius beneficio haec commemorat: „Agmen (sc. indiciorum de Hadriano VI) denique claudunt chartae hactenus ineditae, unde Hadriani familia illustrari potest. Et quamvis ex illis, meo iudicio, familiae, unde genus descendat, nomen elici nequeat, cum contrahentes cognomine patris, non familiae insigniantur, minime tamen eas neglegendas, sed hic proferendas duxi. Licet enim ex qua familia originem traxerit Hadrianus, non doceant, probant tamen eum parentibus civibus Traiectinis genitum neque tam sordidos natales fuisse, ut multi ipsi exprobrarunt; verum parentes eius fundorum et aedium dominos et possessores hic fuisse.

¹⁾ Senator et consiliarius Hadriani Papae.

Has chartas ex autographo descriptas nobis tradidit celeberrimus nobisque amicissimus Arnoldus Drakenborchius, qui eas acceperat a viro amplissimo Daniele Barone de Milan Visconti,¹⁾ senatore Traiectino et collega meo, honoratissimo viro, patriae antiquitatis studiosissimo et indefesso indagatore et scrutatore, qui *κειμήλια* talia plura possidens liberali animo sua cum iis, qui publici iuris facere atque inde historias illustrare velint, lubentissime communia facit."

Hadrianum, quamvis indicia aperta desint, ex Dedeliorum familia ortum esse Drakenborchius coniecit, „qui,²⁾ quidquid subsecivi temporis ipsi datur, in evolvendis rebus gestis nostrorum proavorum et indagandis antiquitatibus patriis conficiendisque illustrissimarum, quae olim in patria nostra floruerunt et adhuc vigent, familiarum genealogiis alacriter et indefesso studio impendit. Qui quoque stemma Dedeliorum, quod exhibemus ex MSS. Bucchelii aliisque confecit.” Turckiorum et Lochorstiorum familiarum quoque stemmata confecisse videtur et Burmannum docuisse testamentum Georgii ab Egmonda, Joannis Comitis Egmondani filii, hic in templo maiori in Choro superiori superesse. Ad eundem annum 1734 referenda videntur dicta Academica in Flori Epitomam, quae cura Dukeri collegae anno 1722 Lugduni Batavorum prodiit, et in Antiquitates Romanas.³⁾ Quae divisae sunt in partes tres, quarum

1) Ille enim ei usui concessit ut Bucchelii schedas ita librum, qui genealogias familiarum Hollandicarum ac Traiectinarum continebat, causamque in aurem addidit magistratus ignorare privilegia et iura urbis patriae sed laborem fugere diplomatum molis excutienda itaque virum posci, qui pro iis materiam ordinaret digereretque.

2) Ita Casp. Burmannus in praefatione Analectorum historicorum.

3) „Praesertim vero Antiquitates Romanae, quas audi-

prima quinque deinceps capitibus agit de urbe Roma, de Romanorum religione, de ritibus sacrificiorum, de tempore, de ludis; altera continet res civiles, comitia, leges et ius civile, iudicia, rationem vitae et victus populi Romani; tertia denique pars rem militarem complectitur, duces militum, agmen, castra, aciem, arma, praemia militaria, pœnas. Singula capita accuratius singulas partes persequuntur. Exempli gratia afferre libet partis primae caput secundum, quod tractat de diis, templis, atriis, de ipso templi aedificio, de statuis, aris, imaginibus, favissis, fanis, delubris, sacellis, dedicatione, dedicationis ritu, adoratione, supplicationibus, lectisterniis, sacrificiis, pontificibus, auguribus, haruspicibus, duumviris, virginibus Vestalibus, fratribus Arvalibus, curionibus, epulonibus, septemviris, fetialibus, sodalibus Titiis, rege sacrorum, flaminibus, Salii, Lupercis, Potitiis et Pinariis, Gallis, Bona Dea, aedituis, camillis, tibicinibus et tubicinibus, popis et victimariis, praeficis, designatoribus, acerra, turibulo.

Iam vero natalis aderat saecularis nostrae Academiae, cuius laetissimae rei memoriam Curatores non solum „vulgaribus publicae laetitiae indiciis” sed etiam oratione sollemni celebrare decreverunt. Viris delectis, qui sollemnium administrationem regerent, Proceribus alumnos numismate donare placuit atque Arnoldum Drakenborchium rogare, ut oratione publica Rectoris Academici munere iterum abiret.

Et a magistratibus primores urbis et Academiae invitati sunt, ut caerimoniis adessent, et a Rectore Magnifico. Pompa facta est in Ecclesiam Maiorem, ubi Drakenborchius Rector Palladem Rheno-Traiectinam faustis omnibus pro-

toribus expono, plurimum mihi negotii facessunt, qua cura ubi me expedivero et aliunde subsidia necessaria nancisci possim, aliquid in Ciceronis ad fratrem et ad Brutum epistulis moliri decrevi". (Ex epistula ad Dukerum data, Amstelodami asservata.)

secuturus esset, et die festo ad finem vergente epulae regio apparatu instructae convivis causa fuit identidem Academiae illustri salutem propinandi. In oratione panegyrica sua Rector facunde et copiose Gymnasii, deinde Academiae originem, incrementum, fortunas enarravit, qua pietate erat, Deo Optimo Maximo gratias agens pro innumeris beneficiis per annorum seriem in patrium decus collatis.

„Quanta autem facundia — laudatoris eius¹⁾ verbis rursus uti mihi liceat — partes suas egerit, plurimi vestrum vel hodie non sine summa animi voluptate recordantur. Quanto autem opere se Proceribus probaverit, vel hinc discere licet, quod argenteo monumento eoque non exigui pretii domum eius et supellectilem, quum haud multo ante commoda auxissent, exornaverint.” Summae eloquentiae eius specimen non possum non afferre: „Tibi tandem, o Sol Justitiae, aeternas gratias agimus, quod caloris tui virtute hanc Academiam numini tuo dicatam benigne fovere atque efficere volueris, ut elapsi saeculi spatio multiplices fructus proferre potuerit. Tibi, cui uni eos acceptos referimus, sollemniter solvimus vota, quae quondam maiores nuncuparunt. Te eundem supplices rogamus, novo hoc saeculo ineunte et multis sequentibus luminis tui radiis inlustra pectora Curatorum, ut ea capiant consilia, quae tibi honori, Lyceo tuo utilia sint. Inlustra, quasumus, mentes eorum, qui omnis generis scientiarum praceptis alios imbuunt! Inlustra, precamur, ingenia eorum, qui cuiuscumque doctrinae sacris initiantur!

Omnis nos inexhausto sapientiae tuae fonte inunda, divina divini numinis tui aura adfla idque laudis ac decoris propitius nobis concede, ut Academia Traiectina sit numquam deficiens rei publicae et ecclesiae seminarium, ex quo quotidie prodeant, qui patriae gubernaculis admoti, libertatem inlibatam tueantur; qui ecclesiae tuae administrationi

¹⁾ O. S. Or. fun. p. 58.

praefecti, inaestimabile religionis ab omni superstitionis faece purgatae ancile sine ulla labe ad posteros transmittant! Ita nepotes nostri post feliciter decursum, quod numinis tui favore nos incipimus, saeculum eodem ritu debita tibi vota solvent!"

Jam transeamus ad eius opera et studia historica, quae anno sequenti prodierunt, Historiam dico Belgii Foederati, cuius argumenta in „Brevibus Positionibus” breviter astrinxit, tractationem de origine Traiecti ad Rhenum urbis, Collectanea quaedam ad mortes Florentii V et eius filii Joannis I, Comitum Hollandiae. Belgii Foederati historia latino sermone conscripta usque ad annum 1609 res gestas proavorum temporum ordine tractat.

Historiarum Professor cum persuasum haberet historiam cuivis utilem et iucundam semper esse, eam praesertim, quae res patrias enarrat, et optimum fontem esse iuris patriae ac iuris publici uniuscuiusque populi, in prooemio scholae publicae propositum his verbis exponit: „itaque a proavis fortiter gesta facinora brevi tabella depingere constitui, in qua ita versabor, ut paucis doceam, quibus casibus septem illae liberae civitates atque res publica, quae olim variis principibus paruerunt, in unius potestatem ex familia partim Burgundica partim Austriaca pervenerint et quid sub Carolo V gestum sit, omissa tamen eius vita et ita per annales describam, quid sub eius filio Philippo II, Hispaniarum rege, eiusque successoribus acciderit.”

Historiarum docendarum munus ei admodum cordi fuisse vel maxime efficimus e diligentia et subtilitate, qua praecipuorum historiae Belgarum scriptorum opera ab omni parte exploravit necnon propriae meditationis fructus nobis obtulit.

Ante omnia urbis patriae originem sedulo investigavit et perscrutatus est. Demonstrat Traiectum ad Rhenum in-

ter Drusi quinquaginta castella numerandum non esse neque Romanis originem deberi, quoniam numismata apud pagum tantum, cui Vechten nomen est, inventa sunt. Prius nomen Antoniam, quod urbi fuisse nonnulli arbitrantur, vitiosum esse indicat. In defendenda sententia sua de „dulcissimae patriae urbis origine” hac ratione discipulis originis vetus studium narrat: „Memini me iuvenem, quum Academiae Traiectinae adhuc civis essem, saepe illuc (i.e. in pagum Vechten)¹⁾ animi delectandi causa cum sodalibus ambulasse et partim numismata quaedam a rusticis ibi inventa coemisse, partim me ipsum quaesivisse et quae-dam tam aurea, argentea quam aerea; inter illa duo autem imprimis memorabilia exstiterunt, alterum aureum Imperatoris Claudii, quod a parte inversa exhibebat Arcum Triumphalem, addita hac inscriptione DE BRITANNIS: alterum aereum ingentis magnitudinis in honorem Drusi, auctoris 50 illorum castellorum, percussum a Claudio Imp. eius filio; in huius inversa parte ipse togatus sedet Drusus in sella curuli medio inter armorum spolia ab hostibus capta, dextra manu ramum olivae, sinistra chartam involutam tenens, cui imagini inscriptum appetit nomen hoc DRUSUS.” Si fides ei habenda est, Ultraiecti nummi stirpis tantum Merovingiae et Carolingiae reperti sunt, neque pontium et viarum patriae nomina coniungenda sunt cum Romanis sed ad episcopos et familias nobiles et illustres referenda sunt.

Non inficete eorum sententias reicit, qui urbem nostram a Romanis conditam esse existimant. Postquam urbis

1) Iamiam virum doctissimum J. H. Holwerda fundamenta trinum castrorum Romanorum aperturum esse, quae ad pagum Vechten ab initio aerae nostrae usque ad Antoninorum regnum facta sunt, reliquias quoque coloniae civium eo deductae nemo ignorat, qui acta diurna legere solet.

in Antonini Imperatoris Itinerario mentionem spuriam esse ostendit neque omnino locum in Tabula Peutin geriana memorari, ita pergit: „Sed quamvis iam concederemus nostrae urbis in Itinerario illo mentionem fieri eoque tempore, quo scriptum volunt adversarii nostri, fuisse conditam, quid, quaeso, in eo argumenti est Traiectum opus Romanorum esse? inde posset colligi eo tempore Traiectum iam in rerum natura fuisse; ast nos non quaerimus, quando, verum a quibus, an a Romanis vel ab aliis sit conditum; hoc enim si valeret argumentum, idem de aliis urbibus, quarum in eo occurrit mentio, possemus concludere; sic e. g. in illo etiam memorantur urbes Athenae, Thebae et similes; an inde liquet eas a Romanis duxisse origines? nequaquam.”

Urbis originem ad annum DCXCVI refert, ad quem annum „urbem splendidam et illustre castellum Traiectum” Beda venerabilis memorat. Denique res disperse dictas unum in locum reminiscendi causa his verbis cogit: „Haud igitur fidei absonum videtur illo tempore, quo Franci in has oras pervenerunt Romanosque e Belgio eiecerunt eorumque munimentum Wiltaburgum (ut verosimile est) destruxerunt, Frisos a Romanorum iugo liberatos in ripa sua Germanica ad Traiectum Rheni, id est, ubi fluvius ille commode traici poterat, munimentum aliquod exstruxisse, quod tractu temporis huic urbi originem dederit idque circa annum Christi CCLXI.”

Eius ipsius sententia de nominis urbis origine haec est: vox composita est ex duabus vocibus Germanicis U idem significat atque: Alt, Olt, Out, vetus; Tricht Traiectum Germanis est.

Primo Trecht urbs vocabatur ob traiectum trans Rhenum flumen, postea vero propter urbis vetustatem nomen in Oltrech, Ultrecht, mutatum est, unde ortum esse Ultraiectum colligit.

Ingeniosa certe et exquisita nominis enodatio!

* * *

Drakenborchiana opera suum quaeque in annum cum referimus, pluribus disseramus necesse est de opere eius praestantissimo, quod ei praecipuam famam peperisse quivis in litteris humanioribus versatus libenter concedet.

Dico editionem Titi Livii notissimam, quae a nostro annis continuis 1738—1746 septem voluminibus in lucem missa est. Privatarum et publicarum scholarum labores suscipere cum satis ei non esset, Watero typographo Livii recensionem Drakenborchianam petente, opus editione Siliana longe maius graviusque aggredi animo moliebatur.

Praefatio ad lectorem duabus partibus absolvitur, quarum altera potissimum in commentatorum Livianorum emendationibus, scholis ac notis versatur, altera in propriis in historicum observationibus. Laurentii Vallae vita turbida eiusque emendationibus Livianis copiose tractatis M. Ant. Coccii Sabellici, Beati Rhenani, Sig. Gelenii, Sigenii, Glareani annotationes ordine enumerat: iure observat Glareanum materiae susceptae parem esse non potuisse, libris Graecis carentem (quales Polybius, Dionysius Halicarnassensis sunt), „qui ante omnes commentatori Liviano necessarii sunt”; Gruteri errores postquam demonstravit, nos de ineditis, quae tunc primum ab eo publicabantur, docet, sc. de Petri Nannii Castigationibus, Roberti Titii Locorum Controversorum libris, Matthaei Klockii, Jani Gebhardi Notis; denique de Gronoviorum Perizoniique curis abunde disserit.

Liviano contextui acutiore etiam ingenio et docto auxilio opus esse ratus Arnoldus amicorum complurium opera usus¹⁾ undique subsidia colligere coepit.

1) Opem in Livianis ei tulisse videntur H. Brenckmannus, G. Cortius, J. M. Gesnerus, Chr. Aug. Heumannus, M. V. de la Croze, J. H. Schminckius, Cl. Sallierius, N. Hof, J. F. Christius, J. D. Schoepflin, P. D. Longolius, J. Ph. d'Orville, Wasse, Lutkens, Duker, S. Havercampius, Jac.

Omne tempus, quod inter muneras occupationes intercedebat, excutiendis excerptisque codicibus manuscriptis eisque cum vulgatis editionibus conferendis insumere studuit.

Sed, ut in Silio edendo, ita hic quoque Fortuna prospera ei non arrisit.

Quippe constat eum, licet excerpta (autographa) e codicibus Latini Latinii et viri clarissimi Thomae Hearnii collationes e sex codicibus Oxoniensibus inspicerit et adhibuerit, membranas magni momenti, „qui Livium emendaturo quasi oraculi in star esse poterant” numquam ante oculos habuisse. Quales sunt Puteaneus Parisinus, Moguntinus, Laurisheimensis (postea Vindobonensis).

In illas urbes itineris faciendi, ut e bibliothecarum angulis eos aut in excerptis coemeret aut alio quovis pacto congereret, copia ei numquam fuit, patrimonii damni causa,¹⁾ „quod eruditis ferme exiguum contingere solet, quum bonae mentis soror sit paupertas.” Eruditis hodiernis persuasum sit nihil novi sub sole esse!

Huc accedit, quod subito certior factus est virum celeberrimum Crevierum Parisiis Livium collectis Puteanei lectionibus editurum esse. Hoc labore igitur vi coactus supersedit, ne operam et oleum perderet.

Ad codicem Moguntinum inspicendum eo iter suscipere

Ode, Casleius, Oudendorp, Wolf; Burmanni, huius operis censoris, nomen huic numero addere nihil iam necesse est.

1) „Nuper vir doctus mihi exhibuit specimen codicis antiquissimi Liviani, qui Stokholmiae in manu unius procerum Suecorum est et cupientibus insano mille imperialium pretio venalis offertur. Quamvis autem neminem in Belgio fore responderim, qui tam care emere velit, huc tamen, si commoda occasio data fuerit, mittetur, ut vel in Belgio vel in Anglia vendatur.” (Ex epistula Traiectina v. d. J. H. Schminckio scripta).

feriarum tempore ei animus erat, cum ab amicis cognovit codicem Livianum incerto casu (furto vel temporum fortuna) ab Ecclesiae Martinianaæ bibliotheca abesse!

In tertia investigatione vento haud minus adverso usus esse videtur. Veniam a Carolo VI Imperatore, Cortio et Scipione Maffeo adiuvantibus, ut huius codicis collationem impetraret, numquam potuit. Sed labor omnia vincit improbus.

Mira industria assiduaque cura quinquaginta codices manu exaratos vel integros inspexit iisque dies noctesque insudavit.

Insuper e tredecim et centum editionibus partem magnam possedit pervolvitque. Dein permultas notas et coniecturas doctorum virorum in editionem suam recepit et suas adnotationes addidit, inter quas notae integrae Laurentii Vallae, Beati Rhenani, Fulvii Ursini, J. Fr. Gronovii, Jac. Perizonii, Jac. Gronovii inveniuntur cum excerptis Justi Lipsii, Fr. Modii, Jan. Gruteri, ineditis Gebhardi Dukerique. Neque deperditorum librorum supplementa, quae Joannes Freinsheimius a libro undecimo ad librum vicesimum primum et rursus a libro quadragesimo sexto usque ad librum centesimum quadragesimum concinnavit, desunt.

Totum voluminum corpus „diuturnis et fere Herculeis laboribus perfunctus”¹⁾ editor viro illustrissimo Thomae Coke, Baroni de Lovel, Magnae Britanniae Pari, dedicat, quem, varias antiquitates, libros manuscriptos, codices typis descriptos conquirentem et aequalium studiis, ut Maeccenatem alterum faventem sibi septemdecim codices Livianos necnon priscas editiones nonnullas per triennium deferri iussisse affirmat. E quibus tredecim calamo exarati partim ternas, partim singulas decades Livii librorum continebant. Reliqui, typis expressi, vel ultima vetustate vel diligenter ad marginem notatis praestantissimarum mem-

¹⁾ Ita Dukerus in epistula a. 1735 data.

branarum variantibus lectionibus ipsi manuscriptis erant aequandi.

Anno 1710 Joannes Clericus Livii Historiarum editionem decem voluminibus recensuit et notulis auxit integris, Freinshemii supplementis additis. Eius recensionem nostri arbitrio submittamus. Clericus in praefatione se Livium ad J. Fr. Gronovii mentem „non infeliciter” edidisse iactaverat et non tantum e contextu typographorum menda sed etiam menda veterum librariorum eiecssisse.

Sed se deprehendisse noster affirmat eius opus adhuc erroribus scatere, eum saepe complures voces omisisse, lectiones a Gronovianis diversas tolerasse, ne minimam quidem partem eorum, quae ad calcem perperam omissa erant, animadvertisse.

Quam ob rem sedulo operam dedit, ut ab illis mendis ipse caveret.

Contextus verba Drakenborchius quoque ad Gronoviorum mentem recensuit nisi illis locis, ubi codicu[m] optimorum auctoritas, ut aliam viam iniret, suaderet.

Paucis verbis totam eius studiorum Livianorum rationem complecti possum, e praefatione haec laudans: „In lectionibus expresso Gronoviorum suffragio probatis, potius servandis superstiosus quam eiciendis audax et temerarius videri malui.”

Opus eius Livianum cum in virorum doctorum imprimis usum compositum esset, bene egit, quod rarius populi Romani antiquitatibus, moribus, legibus, geographiae lucem admovit.

Ante omnia collationem aliorum librorum magni facit, quibus consultis aliquanto facilius veram scriptoris manum indagari posse contendit quam e lectionibus, quas codices principes praebent.

In fine tomi secundi editor varias lectiones e codice Florentino excerptas usque ad libri IIII caput XXXII una collocavit. Denique tomo septimo cum praefatione et indi-

cibus continentur permultae et elaboratae vitae Livianae, disputationes, epistulae criticae, dedicationes omnium fere, qui per saecula superiora rerum scriptori Patavino operam dederunt.¹⁾

Syllabus codicum, quos adhibuit, et praecipuarum editionum etiam occurrit.

His omnibus perspectis facere iam non possumus quin concedamus opus nostri Livianum,²⁾ ut recensionem Silianam, inter doctas eius aetatis scriptorum veterum editiones locum primarium obtinere cum exquisita et abundanti doctrina tum perfectione diligentissima.

His de nostri Livio paginis Luciani Muelleri et Eduardi Norden iudicia addere velim.

In L. Muelleri Historia philologiae classicae Batavae legimus: „D., dessen Livius mehr durch die erdrückende Fülle des von allen Seiten herbeigeschafften Materials als durch Geist und Urtheil seinen Werth erhält.”

Ed. Norden vero (Einl. in die Altertumswissenschaft I) editioni, mea quidem opinione recte, multum tribuit: „Livius. Unter den erklärenden Ausgaben ist die von A.

¹⁾ Inter quas exstant: Vita L. ex Vossi Historicis Latinis.

Joecheri de suspecta L. fide.
plures de Patavinitate Liviana.
Sigonii Chronologia Liviana.
Laur. Vallae Disputatio de filiis
Prisci Tarquinii.
Matth. Aegyptii Explicatio Sen.
Cons. de Bacch.
Elogia ac iudicia auctorum de L.

²⁾ Annis 1820/28 Livius Drakenborchianus Germanice versus XV tomis Stutgardiae Klaibero philologo curante evulgatus est. A. D. recensionis Livianae editio tomis VI anno 1767 Neapoli exstitit.

Drakenborch, Amst. 1738/46, wegen ihrer Stoffsammlung
(die notae var. von der Renaissancezeit an, darunter auch
die Supplementa Liviana von J. Freinsheim 1647/54) noch
unentbehrlich."

* * *

Hoc quoque anno, qua comitate ergo amicos erat, Casparum Burmannum denuo omni humanitate prosecutus est, cum ille suum „Traiectum Eruditum”¹⁾ emitteret. Amicum certiores fecit de compluribus civibus et familiis patriis, eximia patriae urbis doctrina genealogica subnixus. Eum edocuit natales Antonii Aemilii, Martini Schookii, describenda ei tradidit fratrum Basinorum elogia, per stemmata ei indicia praebuit de familia Antonii Pottii et Cuyckiorum.

Ut negare non possumus Drakenborchium philologum classicum dignissimum semper fore, cuius doctrina a nobis merito investigetur et aestimetur, ita in disputatione nostra etiam bibliothecae praefecturam, quo officio eum primum cum professoris munere functum esse invenimus, digne tractari oportebit.

Curatores enim ob insignia merita oratoria publicae bibliothecae eum praefecerunt, cum post Cornelii Boothii, primi praefecti, mortem, administratione custodi van Noy ob mores corruptos interdicta et deinde per tres fere menses in Arnoldum Henricum van Wykersloot translata, copia librorum viro careret, qui eam ordinaret et moderaretur.

Mense demum Februario anni 1740 Drakenborchio praefecti munus impositum est mercede florenorum ducenorum

¹⁾ „Traiectum eruditum, virorum doctrina illustrium, qui in urbe Traiecto et regione Traiectensi nati sunt sive ibi habitarunt vitas fata et scripta exhibens” est plena libri inscriptio.

constituta.¹⁾ Affirmari tamen non potest titulum „praefecti bibliothecae” simul ei inditum esse. Arnoldus ipse bibliothecam publicam semper maximi fecit, „ad quam, tamquam ad certissimum omnigenae eruditionis promptuarium quicumque liberalibus artibus operantur, doctoribus aequae ac discipulis decurrentum est.”

In oratione funebri²⁾ laudator eius honorem mandatum his verbis memorat: „quin et haud ita diu post contigit, ut publicae bibliothecae, cui curandae frustra idoneum magis quaereres, praefectus fuerit, qui quidem honos nemini ante ipsum umquam tributus quam vehementi ipsum laetitia perfuderit, facile percipit, quisquis amorem eius, quo versus doctas virorum doctorum lucubrationes ferebatur, exploratum habuit.” Academiae Curatores spes non fefellit. Eodem anno „amore patriae” luculentiores condiciones, quas Academia Lugduno-Batava ei proposuit, aspernatus est.

Acta publica, quae „vroedschapsresolutiën” vocantur, demonstrant per eius praefecturae spatium complures privatarum bibliothecarum partes emptione comparatas esse.

Ipse in oratione panegyrica, quam supra commemo-
ravimus, Curatorum munificentiam superiorem laudibus his extulerat: „neque paucis defungi possem, si verborum coloribus, quales rei dignitas exigit, depingere vellem, quanta benignitate, vix quinquagesimis Palilibus Lycei nostri celebatis, ducentos Carolinos in bibliotheca publica augenda quotannis collocari iusserint eosque memorabili liberalitate ante hoc sexennium ad quingentos annuos auxerint.”

Drakenborchio praefecto bibliothecae David van Mol-

¹⁾ Haec praefectura paulatim munus otiosius factum esse videtur professorum salarii adaugendi causa institutum.

²⁾ p. 59.

lem, bombycis fabricator, quattuor statuas (thoraces) viorum doctissimorum E. Ottonis, P. van Musschenbroek, Davidis Milii, denique praefecti ipsius, a Jac. Crescent fictas, dono dedit.¹⁾

Pro quo amplissimo munere die III m. Maii anni 1745 legatio urbis Senatus ei gratias egit. Hodie nostri statua, insignis gravitatis, eximiae pulchritudinis opus, bibliothecae vestibulo ornamento est. Frons Academiae nostrae etiam clipeis ornata est e lapide bibulo factis, in quibus imagines virorum clarissimorum Drakenborchii, Voetii, Matthaei, van Heusde, Buys Ballot, Donders, aliorum.

Interea litterarum et historiae patriae studia in scholis publicis numquam intermisit neque est quod miremur magnam iuvenum catervam scientiae avidorum confluxisse,²⁾ qui a praceptor tam eloquenti elegantioribus disciplinis imbui vellent, inter quos etiam numerabatur Gulielmus Carolus Henricus Friso, Arausionum et Nassaviae Princeps, qui relicta Frisorium Academia Drakenborchio „ipsi addictissimo” duce in urbe nostra studiis, quae ad patriae fata spectant, incubuit.

¹⁾ J. F. v. Someren: De Utrechtsche Universiteitsbibliotheek, haar geschiedenis en haar kunstschatte vóór 1880, p. 44. (Oosthoek 1909).

²⁾ In epistula d. 8 m. Oct. data amico cuidam narrat: „Numerus discipulorum, qui me domi meae historiam universalem exponentem audiunt, maior est, quam sperare ante ausus fuisse. Quot tamen sint, cum nomina nondum perscriperint, affirmare non possum; plures tamen esse quam 20 facile credo.” Alio loco legimus: „Principia anni Academicici satis mihi ex voto cedunt. Quamvis enim non idem discipulorum numerus mihi adsit qui anno proximo, quoniam nonnulli, qui hoc anno in Academiam nostram migrarunt, se ad collegam contulerunt, mea tamen sorte contentus sum.”

Mox denuo pulpita conscendit, ut Hieronymum Alphenium theologum e more pro rostris laudaret eique iusta solvit tanta facundia, ut „filiis¹⁾ discipulorumque plurimis caro patre facilique doctore destitutis copiosissimas, nec fictas illas, sed veros pii animi indices, lacrimas provocare calluerit.”

Ab Hieronymo Alphenio moribundo laudator designatus solita sua eloquentia Nestorea amici fata enarrat, hic quoque, ut occasio oblata est, de humanioribus disciplinis sibi gratissimis eximias laudes habens.

Maximo gaudio commemorat theologum praestantissimum aetate puerili prima elementa illarum linguarum percepisse, „sine quibus cognitis nemo cum fructu in Academia versari vel ex veterum scriptis severa lege proficere potest,” atque iis litteris instructum esse, „quibus ignorantiae vepres ac sentes in mente humana sponte enatae eradicatorum et pectus, tamquam ager bene cultus, praepararetur, ut gremio mollito ac subacto gravioris disciplinae, cui vitam consecrare proposuerat, semina exciperet.”

Denique die XXVII mensis Iulii anni 1747 serenissimum et celsissimum Guilielmum Carolum Henricum Friesonem, cum regionis Traiectinae gubernator et summus terra marique imperator inauguraretur, Senatus Academicus nomine salutavit discipuloque ex animo gratulatus est, quod bello, a Ludovico Galliarum rege illato post Zelandos proceres Hollandorum, Traiectinorum, Transisalanorum quoque summam belli et imperii ad eum detulissent.

Summa vi dicendi atque mira orationis elegantia sectator ardens illustrissimae familiae Arausiacaet Nassaviae Palladem Traiectinam gaudio triumphantem inducit, cum audivisset templi sui alumno Belgium commendari. Orationi subiunctum est carmen, quo Ioannes Alexander Roëlius facundiae Drakenborchianae laudes celebrat.

1) O. S. Or. fun. p. 61, 62.

Roëllius enim, qui a magistro suo inscriptiones, quibus aedium suarum fenestras, luminibus festis perfusas, vespera eius diei, quo celsissimus Princeps Arausionensis regionis nostrae Praefectus inaugurabatur, exornaret, petierat easque describendas acceperat, haec laetitiae signa nobis ante oculos exponit.

I.

Nomen Principis Arausiaci, a duobus geniis lauro coronatum.

Quae nova Frisiacis patriae spes surgit ab oris,
Iam certam sibi Belga potest spondere salutem,
Iam pax aut aderit nostris victoria turmis.
Numine, sancte, tuo castis, deus, adnue votis
Et pacem firmam et stabilem largire quietem
Prosperaque auspicia haec optato fine corona.

2.

Insignia Principis Arausiaci cum hac subscriptione:
Dis genite et geniture Deos.

3.

Insignia Regiae Coniugis, quibus subscriptum:
Casta fave Lucina.

4.

Pressa gravi bello foedoque agitata tumultu
Virgo sedet roseas Belgica scissa genas,
Humanis diffisa opibus, confusa periclis
Nil nisi supremi numinis orat opem.
En subito veluti vox aethere lapsa per auras
Advolat Auriacum quae vocat una Ducem.
Laetior exsurgit post tristia nubila virgo
Sollicitosque abigit corde tremente metus.

Numinis augurium sentit praesentis et inquit:
„Non populi tantum vox, sed et illa dei est.”

5.

Belga sui Auriacis ortus cunabula debet,
Sensit et hinc medicam saepius aeger opem,
Tu potis es unus moribundo reddere vitam,
Auriacae spes et sola columna domus.

6.

Auriaci generis patriae spes unica nostrae
Et patriae et generis forti decus adsere dextra.

Roëlliani carminis initium addamus, quod unius ex
discipulis voluntatem magnam erga praceptorum tam
lucide demonstrat.

„O Clarii tutela Dei, doctaeque Minervae
Praesidium et nostrae gloria amoreque scholae,
Accipe, quae tenui mea lusit arundine Musa,
Pectoris atque animi candida signa mei:
Auriaci adventu quum, publica gaudia cernens,
Haec quoque laetitiae dat documenta sua;
Scilicet egregii non nostrum dicere laudes
Principis, hoc venae fertilioris opus.
Hoc faciant, qui mellifluae dulcedine linguae
Dura vel eloquii fulmine corda movent.
Quale fuit flumen Demosthenis ac Ciceronis,
Qualis Socratico blandus in ore lepos,
Docta Drakenborchi qualis facundia, cuius
In labiis sedem mellea Suada tenet.
Audiit attonita et stupuit quem mente loquentem
Concio, quum proavum tempore gesta refert.”

Quantopere omni liberali doctrina Drakenborchius ex-

politus fuerit, comprobant etiam eius animadversiones passim sparsae in Thomae Magistri Dictionum Atticarum Eclogas, quae post eius obitum (in Thomae editione Lugdunensi anni 1757) emissae sunt.

In Cornelii Pauli Hoynk van Papendrecht *Analecta Belgica* quoque eum operam contulisse appareat ex notis in Viglii epistulas ad Hopperum scriptas necnon e variis lectionibus in *de Tassis Commentaria*,¹⁾ quae in dictatis Drakenborchianis occurunt.

Viglii ab Ayta Zwichemi epistulas, quae ad Ioachimum Hopperum, Philippi Hispaniarum regis consiliarium Bruxellensem, datae sunt ex quo tempore is in Hispaniam abiit (anno 1566), S. A. Gabbema, historicus Frisius et poeta, Leovardiae primus in lucem miserat.

Quae epistulae res tempore tumultuum Belgicorum gestas et Viglii sensus, consilia, labores, pericula complectuntur. Archipresbyter autem Mechliniensis Gabbemae editionem „scatentem erratis innumeris iuxta et crassissimis, in qua desiderantur epistulae omnino tres et triginta et plurimum aliarum fragmenta”, emendaverat et epistularum ordinem turbatum restituere conatus erat.

Rursus Drakenborchius, ut in Catalogo Praepositorum et Decanorum Ecclesiarum Traiectinarum, doctissimum sacerdotem ordine etiamnunc nondum iusto disponendo superat.

Varias lectiones, nonnullas quoque in *de Tassis Commentaria*, impiger patriae historiae investigator evulgavit.

Sic iuvenili quodam vigore, alacritate sua naturali doctrinam suam semper colebat et unum post alterum opus litteris persequebatur.

Sed: „damnosa quid non imminuit dies?” Iam urbis patriae, urbis carissimae historiam elaboratam aggredi in

¹⁾ Ioannis Baptista de Tassis de tumultibus Belgicis sui temporis libri VIII in *Analectorum Belgicorum* tomo IV° (a. 1743) inveniuntur.

animo habebat,¹⁾ cum d. XVI m. Ianuarii A. 1748 quatuor et sexaginta annos natus morbo extinctus est.

Ut verbis iuris studiosi B. Voorda in naenia sua utar:

„Non manus annali suprema admota labori:

In medio finem reperit illud opus.”

Cum diutius atque vehementius studiis se dedisset, in morbum articularem incidit. Mala senectutis propria etiam sensim eum invaserant, quibus vero summa vitae ac victus sobrietate diu minus obnoxium se reddidit. Supervenit febris, qua vires iam collapsae morbi materiam, quae in visceribus et pulmonibus sedem habebat, repellere non iam possent. Quamvis diligentissime a medicis curatus vi morbi per triginta dies tolerati tandem supremum diem obiit, Creatori Deo, quem semper coluerat, spiritum reddens.

Denique eius mores et indolem sic paucis complector.

Summa erga Divinum Numen reverentia eum semper ornavit et mascula pietas. „Nec parcus nec infrequens” Dei cultor profanum hominum genus spernebat, qui Litterarum

1) „Historiae Traiectinae totus incumbo atque ea, quae huic materiae servire possunt, undique colligo. Si Deus vires ac valetudinem largiri dignetur, brevi controversias de finibus Dioeceseos Traiectinae et Goylandiae ex monumentis editis et ineditis praecipue illustrare meditor. Dissertationi ei subiungere mihi animus est experimentum studii mei Genealogici, ut intellegant homines, quid in eo profecerim quaque methodo procedam, imprimis vero, si fieri possit, persuadeam nostrae regionis nobilibus ut commentarios domesticos atque instrumenta publica, quae possident, mihi non invideant, Ordinibus autem nostris ut ad libros feudales rei publicae aditum, qualem opto, concedant. Quamvis ea inspiciendi facultas non negetur, incommodum tamen accidit, quod non permittatur eos domi consulere, quod omnino necesse est.” (Ex epistula Traiectina v. d. M. V. de la Croze scripta).

sacrarum historias rident, eos vero, qui pietatis specie religionem simulabant, „non homines, sed hominum monstra pestesque” appellare solebat. Laudabili modestia¹⁾ inter viros doctos fuit, gravis in collegarum coetu, erga discipulos comis facilisque.²⁾ „Multos numeravit amicos,”³⁾ e quorum numero discipuli complures praeceptorem mortuum elogiis naeniisque celebrarunt.

Fieri non potuit, quin ille, qui tanto semper fervore publicas de dilectissimae urbis patriae antiquitatibus scholas habuit, mox et in perpetuum Palladis Rheno-Traiectinae antistitum amorem et voluntatem sibi conciliaverit. Dicendi facultate nulli aequalium umquam cessit; facundiam eximiā testantur omnes eius orationes publice habitae, de quibus supra sermo fuit.

Arnoldus Drakenborchius unus dignus fuit, qui, cum Rectoris Magnifici munus iterum deponeret, Academiam natalem saecularem celebrantem eloquentiae suae splendore ornaret; is ut ante omnes Frisonem, Academiae nostrae alumnum nobilissimum, sollemni more in pulpitis salutaret, Curatores decreverunt.

¹⁾ „Vitae tranquillae adsuetus et mihi vivere solitus turbis immisceri horresco.”

²⁾ J. F. Reitzius de magistro suo:

„Finxit ab unguiculis quem Suada diserta tenellis
maiorumque dedit fortia facta loqui.”

³⁾ Uni Scipioni Maffeo civi Veronensi in odium venit; invidiam enim collegerat noster reicienda Maffei coniectura Cremona pro Verona legentis. (Liv. 1. V c. 35. 2). Quam coniecturam (re vera non probabilem) ex „praecipi ac calida temeritate” ortam dixit. Uno tantum anno post nostri obitum Maffeius, vir fervidioris ingenii, eum ultus est, in Appendice Musei Veronensis (p. 204, 205) eius editionem Livianam acerbius carpens.

Dignissimae quae legantur epistulae sunt, in quibus Drakenborchius amicos certiores facit de Academicorum circulorum rebus secundis et adversis. E quibus quin pauca saltem afferam, facere non possum.

Ad annum 1719 annotat: „Curatores Academiae Lugdunensis Schaafium sene decrepitum, ut hic marratur, 75 annorum, linguarum orientalium professorem extraordinarium creaverunt. „Rem sane miram et nullius exempli!“

Anno 1735 nobis tradidit „iuvenem quendam vix primis linguae Latinae principiis imbutum atque omni cognitione iuris Romani, nisi si quid misere memoriae, qua minime valebat, excruicando adhaeserit, destitutum, immo, si velis, ne sensu communi quidem praeditum, nuper Doctoris titulum consecutum esse.“

Invita Minerva ille!

Ad annum 1738 observat: „Musschenbroekius gravissimum adversarium nactus est Engelhartium Groeninganum, qui facto nomine schediasma Belgicum edidit ac probare conatus est collegam nostrum neque Logices neque Metaphysics neque Historiae naturalis peritum esse et hinc non mereri ut inter philosophos referatur, qui et scriptis ad Vogetum litteris palam professus est se esse pseudonymum illum idque adversario indicari rogavit, insigni insuper ferocia tristissima quaeque ipsi minatus. At nostro nihil ipsi respondere et adversarium generoso contemptu neglegere certum est.

Ubi colloquendi copia erit, tantarum irarum causas indicabo.

Waterus noster, qui olim laqueo quam matrimonio alligati sortem feliciorem esse praedicabat, inter sponsos adscriptus est et nihil nisi amatam virginem ac nuptias cogitat.“

Varium sane et mutabile nonnumquam etiam vir!

Sequuntur haec: „Lis quoque de promotione sex candi-

datorum hac ratione in Senatu composita est, ut omnes illi eodem die titulo doctorum ornarentur, mihi vero ludis, quos negotium illud exhibuit, perscribendis tempus deest."

In vita Drakenborchii enarranda ad finem pervenimus.

Rati lectori omnino opem ferendam esse, ut „inter folia fructus” carpere possit neve nominum rerumque voragine submergatur, certo ordine usi seriem operum variam repetemus, quae annis labentibus ab eo aequalium et posteritatis orbi eruditio oblata sunt. Hac ratione fortasse illustrare poterimus, unde factum sit, ut Drakenborchius apud collegas omni tempore tanti aestimatus sit eique aequales omnium consensu primas detulerint. Octo deinceps provincias eius significabo et explanabo.

Fuit enim Drakenborchius:

- I iuris (utriusque) doctor.
- II philologus classicus.
- III praceptor.
- IV bibliothecae publicae praefectus.
- V orator.
- VI historicus.
- VII genealogus.
- VIII investigator antiquitatum ecclesiasticarum et civilium.

Varia ac multiplici doctrina licet in universum valuerit, maximam sui famam philologus classicus reliquit.

Iuris doctoris opuscula haec sunt:

Dissertationes „de praefectis urbi” et „de officio praefectorum praetorio,”

Collectanea de iure iurando veterum,

Dictata in Antiquitates Romanas.

Eloquentiae vere egregiae specimina iam passim attulimus.

Commonefaciamus de orationibus eius inaugurali et in

natalem Academiae saecularem publice habitis, quae prae ceteris splendida sua elegantia et vi dicendi eminent.

De Drakenborchio praceptor e praeter alumnorum encomia multa eius scholae in variis disciplinis frequentissimae satis nos docent.

Cum industriam eius et subtilitatem cognoscimus in tractandis historiae patriae rebus gestis, miramur ei tempus operae his studiis dandae numquam defuisse.

Historiam Belgii Foederati e.g. laudo.

Bibliothecae praefectus cum esset, statim libris aptis comparandis se virum acutissimi ingenii praestitit.

Non minus noster peritia antiquitatum ecclesiasticarum civiliumque floruit.

Afferimus „Bataviam sacram”, Catalogum illum Praepositorum et Decanorum, monemus de auxilio, Caspari Burmanno collegae saepius in ecclesiasticis lato.

Non solum nostrae urbis originem indagavit, sed etiam eius historiam copiosam erat descripturus.

Genealogiam quondam¹⁾ „studium invidiosum, at iucundum, si quod aliud” vocavit.

Nostri „Origines Traiectinas,” complurium familiarum stemmata ordine enumerare nihil attinet.

Sed isti labores omnes tamen meritis nostri Silianis Livianisque inferiores sunt.

Cum Drakenborchii vitae describenda consilium inirem, eum tamquam virum Livianum magni faciebam, quin etiam curas eius Livianas omnibus ceteris eius virtutibus pluris aestimabam.

Fieri enim non potest, quin accurata et copiosa, non numquam fortasse copiosior, contextus recensio necnon doctissima artis criticae exercendae ratio, denique diligen-

¹⁾ In epistula d. 16 m. Junii 1721 ad Gerh. Dumbar Daventriensem data.

tia strenua ingeniumque eximum nos summum honorem maioribus nostris, philologiae classicae administris, tribuere cogant.

Discipulus hic Burmannianus, qui rudimenta sua posuit, cum pro praceptorum suo Petronii aliorumque auctorum editiones doctas perpoliret, cuius dictata in varios scriptores Latinos adhuc exstant, Silius Liviumque suum nobis reliquit thesauros ac fontes, e quibus dubium non est, quin omnes fere editores posteriores largiter hauserint. In quorum numero Ernesti, Ruperti, Bauer habendi sunt, qui Punica postea (1791, 1795, 1890) foras dederunt.

Ars critica ab illo tempore crevit ideoque editiones eorum Silianas recensioni Drakenborchianae in emendationibus codicumque collationibus praestare minime mirum est.

Unde factum est, ut J. F. Dobsonius, professor Bristolensis, Lugduni Batavorum codicem Leidensem excutiens nostri lectiones sat multis in locis (circa septuaginta) correxerit, hos autem errores se „invitum” deprehendisse fateatur.

Ut autem moderatio eius noscatur et gravitas, qua usus est in mutationibus propriis adhibendis, necnon iudicij temperantia de coniecturis alienis, animum induxi eos imprimis locos exscribere, e quibus ratio critica huius viri Siliani satis superque intellegi possit.

Ad L. I 126: Idaeoque lacus flagrantes sanguine cerno.
stagnantes coni. N. Heinsius, quem sequitur Bothe, spumantes Drakenborch (et Koch).

„In libris scriptis flagrantes superest, nisi quod in Oxon. manifesto errore librariorum sit fragrantes, quomodo et alibi frequenter lapsi sunt. Videtur Silius in animo habuisse locum Maronis ex lib. VI Aen. v. 86, unde proclive

foret etiam apud Silium legere: lacus s p u m a n t e s sanguine cerno, praesertim cum et ipse ita infra loquatur lib. VI v. 12: spumans sanie lacus, et v. 705: Addes Ticini spumantes sanguine ripas. Sed manus contineo. Si cui tamen audacius videatur, cum cel. Burmanno flagrant e s accipiam r u b e n t e s, ut apud Virg. l. XII v. 65 et al."

ad vs. 397: Hunc miseratus adest infesto vulnere L a d m u s. Heinsius: quidam codices L a g m u s, L a g n u s, L a u d u s.

Noster: „Cum miles hic memoratus a Carthaginiensium partibus steterit, placet prae ceteris Oxon. membranarum scriptura: L a u d u s: nam Laudia Ptolemaeo oppidum est Mauritaniae Caesariensis, Laud vero Plinio fluvius Mauritaniae Tingitanae, unde Silius id nomen formasse videtur.”

Ad L. II 75: cursuque fatigant Hebrum innupta manus. Noster cum Burmanno H a e m u m, quod probat Van Veen. Sed iure Bauer locum Virg. l. I 317 affert.

Ad. L. III 591:

Qui Poenum revocet patriae Latioque r e p u l s u m.

Ante suae muros Carthaginis exuat armis.

Nostro (et Bentleio) r e v u l s u m magis placet, qui hanc causam rei adicit: „Nihil mutant libri; puto tamen legendum: L a t i o q u e r e v u l s u m. Invitum enim Scipio astraxit et avulsit Hannibalem ab Italia, bellum in Africam transferendo, non vero reppulit, nam in Italia cum eo numquam congressus est. Apte hoc verbo exprimit Silius, quanta Scipionis fortitudine quamque invitus Hannibal ex Italia deiectus fuerit.”

Conferuntur locutiones l. VII v. 488, XVI v. 635 et Flori lib. II c. 6: inhaerentem atque incubantem Italiae extorquere Hannibalem.

Ad vs. 682: In Libyen n i v e i s tranavit concolor alis. Mentio fit columbae, quae in Libya templum condidisse fertur. Cf. Herod. II c. 55: πελειάδας μελαινας. N. Heinsius: f u r v i s, Chory: a t r i s, Burmannus: p i c e i s.

Editor noster annotat: „Omnino nigram columbam fuisse, quae in Libya oracula dabat, testantur fabulae antiquae, ut iam viri docti notarunt. Quare, nisi lapsus fuisse Silium nostrum dicamus, minima mutatione *nigris alis* legi potest (ut iam olim vidit Begerus) vel *piceis....alis* cum cel. viro P. Burmanno, quod nec ipsum a voce *niveis* multum scriptura distat. Dausque ji vero *liveus*, praeterquam quod contra leges metri peccet, vox Latio incognita est, at Heinsianum *furvis....alis* nimium a recepta lectione abit.”

Ad L. IV 59:

Debellata procul, quaecumque vocantur Hiberis.

N. Heinsius: *coluntur*, Livineius: *quacumque vagantur Iberi*. Drakenborchius: „Locus, ut vulgo editur, certissime mendosus: in libris vetustis nihil auxilii est. Si nec Heinsii nec Livineii coniectura placet, legi etiam potest: *habitantur*.”

Contextus licet verbum quoddam habitandi poscat, tamen verosimilius Thilo: *colantur*.

Ad L. V 319:

per tegmina velox

Tunc aerisque moras laevo stetit hasta lacerto.

„Cum in vetere editione, teste Heinsio, sit *Cunta*, forte legendum erit „*per tegmina velox Cuncta aerisque moras*, hoc sensu hastam Appii per omnia tegmina, clipeo Magonis inducta, aereumque laminam, tegminibus subtextam transabiisse et laevo lacerto infixam esse. Pluribus enim taurorum pellibus, ut notum est, clipeos olim muniverunt. Cf. Virg. Aen. IX 706, XII 924.”

Ad L. VI 308:

Et duris facilem per inhospita ducere vitam.

Ex editionibus Parmensi et Mediolanensi Heinsius et Drakenborchius *durus*.

Damsté: *duram facilis*, quae coniectura prae ceteris mihi placet.

Ad L. VII 79:

Et ferimus, digno quaecumque est nomine,
turba

Ausonidum pulchrumque et acu et subtemine fulvo,

Quod nostrae nevere manus, venerabile donum.

N. Heinsius: digno vel: dignum quodcumque
est nomine turbae. Sed multo melius Drakenbor-
chius: „Locus videtur corruptus, qui nisi ei medendo ulti-
mam Illustrissimi Heinsii medicinam adhibeas, fortasse
emendandus hoc modo erit: dignum, quocumque
es nomine, turba Ausonidum — donum.” Cum
enim Iuno apud Romanos variis nominibus coleretur, posito
nomine „Reginae Deum” sollemni more precantium addit:
quocumque es nomine. Sic etiam Apuleius (Met. XI) post
alia addit: quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas
est invocare.”

Ad L. VIII 549: D. „gestabant minima mutatione
hoc sensu „Scipionem Campanos, quibus praerat, pilis ac
thorace armasse, cum domo non nisi leviora tela et ambus-
tas sudes attulissent.” Quae mutatio probatur coll. vs. 554.

Ad L. IX 274: D. pro „dextro” „laevo”, locis Livianis subnixus, sed rursus „sine librorum auctoritate nihil
mutare audet.”

Ad L. XI 257: obnubitur atra

Veste caput.

Noster locum Livianum laudat (l. XXIII c. 10):

„Haec vociferanti, quum moveri vulgus videretur, obvol-
lum caput est, ociusque rapi extra portam iussus.” — At
cur Silius Decio caput atra veste obvolum dicit? fortasse
legendum est „arta” veste. Voces enim artus seu arc-
tus et ater librarii frequenter commutarunt.” Sic supra
lib. VII 280. Sic Damsté in l. IV 617: „arta” pro „atra”.

Ad L. XII 159: Bauer: „Pheretiadum” habet, edi-
tor noster: „Pherecyadum”, qui (meo quidem iudicio
aliquanto audacius) eam scripturam hoc modo in-

terpretatus est: „Cur vero Silius Dicaearcheam seu Puteolos Pherecyadum muros vocet, ratio in obscurō est. Marsus notat Cumanos Neapolitanosque ita dictos esse a Pherecyde quodam, quo duce in Italiam navigarant. Sed quoniam nemo, quod sciam, eius meminerit, eadem, qua ponitur, auctoritate etiam negari potest: praeterquam quod Silius hic nec de Cumanis nec de Neapolitanis sed de Puteolanis agat. Dum enim in huius urbis obsidione haerere cogebatur Hannibal, loca vicina lustravit; indeque regressus ad Pherecyadum muros, id est Puteolos, montem Gaurum devastavit. Si conjecturae nostrae locus datur, vero haud absimile videtur, Puteolos ita dictos esse a Pherecyde, Pythagorae praceptorē. Pherecydes enim, quamvis Syrius fuerit, tamen per aliquot tempus in insula Samo habitavit. Iam Puteoli (test. Steph. Byz. et Eusebio) conditi sunt a Samiis. Neque haec cuiquam nimis longe petita videri debent, cum id Silio facere in more fuerit; nam sic Carthaginenses vocat Cadmeos, Romanos Rhoeteios; similia alia apud eum obvia sunt.”

Ad L. XIII 182:

et summis ascendunt turribus hastae.

D.: „Posses forsitan accedunt legere; solet enim nonnumquam Silius hoc verbum cum tertio casu construere, ut lib XVII v. 575. Verba autem accedere et ascendere interdum librarii scriptores inter se commutarunt. Haereo tamen etiam nunc in hoc loco; videtur enim vox turribus non de ipsis Capuae turribus sed de machinis in modum turrium, quas obsessores muris admovebant et unde hastas in defensores mittebant, capiendum. Quare vel „summis funduntur turribus hastae”, vel cum cel. Burmanno, qui tamen ne sic quidem sibi satis faciebat, legi potest: „S. descendunt t. h.” Sed videant acutiores.

vs. 817: D. cecinit protetigit: „vulgatam scripturam non damno; fortasse tamen legendum cecinit;

canere enim proprium est fatidicorum verbum." — Mea opinione recte. Cf. IV, 5.

Ad L. XIV 69: „c a l i d a m q u e” (nivem) noster, quem sequitur Bauer. Rectius Damsté, qui c a l i d a q u e vindicat et pro a t r a: A e t n a legendum esse monet.

vs. 599/600: D. (fauces) siccias: „alimenta (iussorum ciborum) abnuerant descendere fauces siccias.”

Ad L. XVII 258: „super ora trementia” D.: „Silius
ubique Hannibalem impavidum fingit: quare pro tre-
mentia omnino legendum videtur frementia. Voces
tremere et fremere saepe inter se locum commuta-
runt. Vid. l. X 243: tremebundus et fremebun-
dus (quae propria de iratis leonibus vox est).”

De Livio Drakenborchiano, ut de Silio, quamquam fuisius iam egimus, haec quoque afferre libet, quae Conway et Walters in praefatione editionis Oxoniensis scripserunt:

„Ex codicibus egregiis Leidensi et Harleiano Drakenborchius editioni suae incomparabili annorum 1738/46 optatissimum subsidium traxerat in textu primae decadis recensendo. Codex Leidensis magnum nomen, neque immerito, tum adeptus est, cum ipse a Drakenborchio conlatus editionis eius in hac decade maximum lumen exstitit, ceteri vero eiusdem familiae aut ignoti adhuc manebant aut indiligenter tantum inspecti.“

Per multa Britanni editores Livianarum historiarum nostro debent, testimonia codicis Vormatiensis, a Beato Rhenano ex editione Frobeniana (a. 1535) tradita, editorum editionumque quoque veterum testimonia, minores sectiones aliquot in capita, Rhenani adnotationes. Deinde autem ita pergunta: „Multa temptamina Livium recensentes viri docti fecerunt; horum tamen temptaminum longe maxima pars nemini (nisi auctori suo quodque) placuere valetque etiam nunc, ut sumnum in dubiis consilium, gravissimum illud Drakenborchianum: „Nihil muto.” Ut enim

ille saeculo suo innumeris prolusiones non quidem semper refellere sed transscendere potuit, duobus tantum melioris notae codicibus fretus (H et L), sic certissime nos tex-tum ex membranis pluribus prorsus restituere oportet."

Quae cum ita sint, locos nonnullos tamquam testimonia indicare liceat e primae decadis Liviana libris I—V, ubi Conway et Walters e nostri sagacitate critica fructus percepisse videmus.

L. III 9 § 6: „Qua promulgata lege cum timerent patres, ne absentibus consulibus iugum acciperent, senatus vocatur e.q.s.” Drakenborchius: Vossiani ambo, Leidenses ambo, Harl. pr.: acciperet. Pro quo aequa acciperet i.e. acciperetur quam acciperet i.e. acciperent legi potest.

Conway: fortasse recte.

L. III 38 § 9: „hostibus belloque gratiam habendam quod solitum quicquam liberae civitati fieret.”

Omnis fere codices: civitatis. D. voci: civitatis litteram s demere vult, sed, ut est cautus, addit: nihil mu-to. Eum hoc loco providorem fuisse tempus docuit; nam Conwaio teste „iam a Veronensi confirmatus est.”

L. V 5 § 5: „Vallum fossamque, ingentis utrumque operis per tantum spatii duxerunt.”

Ver.: utramque rem; cod. nonnulli: utrumque rem. Utrumque scripsit Conway suadentibus Drak. et Madvigio; sine dubio pro glossemate ad vocem utrumque adfixo habendum est.

L. II 11 § 14: „cum fuga trepidum, plenum volnerum ac pavoris incidentem portis exercitum viderint.”

Cod.: ac pavore. Conway: „ac pavoris scripsi Gronovii et Drakenborchii monitus exsequens.”

Verumtamen D. exemplis nixus non dubitat quin Livius vocem plenus cum secundo et cum sexto casu construxerit.

L. V 14 § 2: „non homines modo, sed deos etiam exciebant”. Cod.: excipiebant.

Coutier: forte: acciebant.

D. in annot. ad l. X 19 § 1 librarios in vocabulis accire et accipere quoque saepe errasse docuit. Mavult igitur: exciebant, quae lectio quin certa emendatio sit, dubium non est.

Observe nostri pudorem insignem verecundiamque: „Locus in vitio cubat: cui medendo nihil opis est in Mstis. Conspirant enim in vulgatam lectionem, nisi quod tota vox omittatur in Lovel. 3. Aqua mihi haeret; cogitent igitur feliciori ingenio praediti. Coutierii coniectura cui non displacest proprius ad vulgatum legere posset exciebant (vid 1. XXXI c. 14). Verum neque ipse huic sententiae adquiesco.”


L. V 39 § 6: „omne inde tempus suspensos ita tenuit animos, ut identidem iam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem.”

D. vocem qui in cod. Leid. Voss. Lov. aliis invenit; quam ob rem legendum putat quia, ut ita ultima littera vocis quia intercepta sit a prima vociis sequentis.

Conway: „Ver. et E¹ (Fragm. Einsiedlense) conjecturam D. confirmantes.”

Iam brevis vitae Arnoldi Drakenborchii descriptio ad finem absoluta est, unius e philologis Batavis, qui, licet Scaligerum Heinsium Burmannum Grotium alia philologiae, quae in patria floruit, lumina adaequare numquam potuerit, tamen candida indole, subtili ingenio, doctrina egregia, quam editiones cum Siliana tum Liviana comprobant, uno e posteritate litterarum classicarum studiosa biographo qualicumque dignissimus fuit.

FINIS.



THESES.

I.

Iniquum iniustumque est Luciani Muelleri de Drakenborchii editione Liviana iudicium. (Gesch. d. kl. Phil. in den Niederl. p. 46).

II.

Ov. Met. VIII, 879 sq.:

etiam mihi nempe novandi est
Corporis, o iuvenis, numero finita potestas.
Lectio codicum recentiorum infinita omnino reci-
pienda est.

III.

Hor. Epist. II, 1, 143 sq.:

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Corrigendum est: memores.

IV.

Sil. Ital. Pun. III, 109:

Abnus inceptis comitem? sic foedera nota
Primitiaeque tori, gelidos ut scandere tecum
e. q. s.

Emendandum est: foedera nostra (cf. VI 517).

V.

id. XIII, 479 sq.:

saevō sepelire profundo

Exanimos mandant Libycis Nasamones in oris.

Lectionem traditam sanam neque sollicitandam esse
censeo (cf. Mnemos. Vol. XL p. 184).

VI.

id. XVI, 238:

et fera tractabat ludentum interritus ora.

Legendum videtur: rudentum (fame sc.).

VII.

Xen. Hell. IV, 2. 18:

καὶ πρῶτον μὲν ἀμελήσαντες τοῦ εἰς ἐκκαίδεκα βαθεῖαν παυτελῶς ἐποιήσαντο τὴν φάλαγγα.

Post voc. τοῦ desideratur voc. quale συνθήματος, ἐπιτάγματος vel προστάγματος.

VIII.

Xen. Hell. VI, 1. 3.

Verba ἀπὸ τούτων τῶν χρημάτων collocanda sunt post
vocem διοικῶν.

IX.

Xen. Hellen. III, 3. 3.

Λύσανδρος δὲ πρὸς αὐτὸν ὑπέρ Αγησιλάου ἀντεἶπεν ὡς οὐκ
οἷοιτο τὸν Θεὸν τοῦτο κελεύειν φύλαξασθαι, μὴ προσπταίσας τις
χωλεύσειεν, ὅλλα μᾶλλον μὴ οὐκ ὃν τοῦ γένους βασιλευσειε.

Vocabulum: χωλεύσειε expungendum est.

X.

In voce Homerica ἀδινός inest vis impetus iterati.

XI.

Hom. ζ 221 sq.:

ἄντην δ' οὐ κεν ἐγώ γε λοέσσομαι αἰδέομαι γάρ
γυμνοῦσθαι κούρησιν εὐπλοκάμοισι μετελθών.

Versus 222 spurius et delendus est.

XII.

Paus. III, 14. 2. s. f.

Verba ἐπανελθοῦσι — ιερόν post verba ἔχει μοι λόγος
inserenda sunt.

XIII.

Plat. De republ. III, 395, C:

Εἴ ἄρα τὸν πρῶτον λόγον διασώσομεν, τοὺς φύλακας ἡμῖν
τῶν ὄλλων πασῶν δημιουργῶν ἀφειμένους δεῖν εἶναι δημιουργοὺς
ἐλευθερίας τῆς πόλεως πάνυ ἀκριβεῖς καὶ μηδὲν ὄλλο ἐπιτηδεύειν
ὅ τι μὴ εἰς τοῦτο φέρει, οὐδὲν δὴ δέοι ἀν αὐτοὺς ὄλλο πράττειν
οὐδὲ μημεῖσθαι.

Corrigendum est: φέροι.

XIV.

Soph. Antig. vs 44 sq.

[Ism.] ἦ γάρ νοεῖς Θάπτειν σφ', ἀπόρρητον πόλει;

[Ant.] τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σόν, τὸν σὺ μὴ θέλης.

Verba ms. retinenda sunt vel cum v. d. Blaydesio
legendum: τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ σόν γε καν σὺ μὴ θέλης.

XV.

Protagoras heeft in zijn homo-mensura-stelling den individueelen mensch bedoeld.

XVI.

Systematisch onderwijs in de archaeologie en in de philosophie der ouden is op de gymnasia, zelfs in de hoogste klassen, niet op zijn plaats.

XVII.

De afschaffing van de Latijnsche thema bij het eind-examen zal een slechten invloed hebben op de zorgvuldigheid van het vertalen der Latijnsche schrijvers.

XVIII.

Ten onrechte neemt G. Finsler (Homer 1^{er} Teil: Der Dichter u. seine Welt p. 191, 192) het bestaan van een Männerbund bij Homerus aan.

